

Bryn Mawr College

## Scholarship, Research, and Creative Work at Bryn Mawr College

---

Hermann Sauppe Library

Bryn Mawr College Publications, Special  
Collections, Digitized Books

---

1911

### Vindiciae Vergilianae quaestiones criticae de Aeneidis libri II, 567-588

Johannes Gerloff

Follow this and additional works at: <https://repository.brynmawr.edu/digitizedbooks>



Part of the [Classics Commons](#)

[Let us know how access to this document benefits you.](#)

---

#### Citation

Gerloff, Johannes. 1911. *Vindiciae Vergilianae quaestiones criticae de Aeneidis libri II, 567-588*. Ienae: Typis G Nevenhahni.

This paper is posted at Scholarship, Research, and Creative Work at Bryn Mawr College.  
<https://repository.brynmawr.edu/digitizedbooks/84>

For more information, please contact [repository@brynmawr.edu](mailto:repository@brynmawr.edu).

VINDICIAE VERGILIANAE  
QVAESTIONES CRITICAE DE AENEIDIS  
LIBRI II 567--588

---

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

IOHANNES GERLOFF

BEROLINENSIS

---

IENAE  
TYPIS G. NEVENHANNI  
MCMXI


878V7

V

INDICIA VERGILIANA 4. Mo. 4

QUESTIONES CRITICAE DE AENEIDIS

LIBR. N. 507-588



DISSERTATIO PHILOLOGICA

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität  
Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Goetz.

JENA, den 28. Januar 1911.

Professor Dr. A. Cartellieri,  
d. Z. Dekan.

IOHANNES GERLOFF

RECTOR

JENA

PHILOSOPHISCHE FAKULTÄT

DEKAN

PARENTIBVS · SACRVM

LARENTIUS SACRUM

## ARGVMENTVM.

---

Praefatio . . . . .	9
Caput I: Quaestionis historia critica . . . . .	10
Caput II: De inventione et compositione . . . . .	25
1. De 'Helena reperta' Iliupersis fabulae parte	
a) apud Graecos et Rómanos poetas . . . . .	25
b) quomodo Vergilius inventione Graeca usus sit . . . . .	32
$\alpha$ ) quomodo Vergilius Euripidis exemplar secutus sit . . . . .	32
$\beta$ ) de ipso Helenae interficiendae consilio . . . . .	36
2. De compositione . . . . .	39
3. De Veneris interventu . . . . .	45
4. Varia . . . . .	49
Caput III: 1. De repugnantia . . . . .	53
2. De loci memoriae forma . . . . .	58
3. De principalibus adversariorum difficultatibus:	
a) de interpolatore . . . . .	63
b) de lacuna . . . . .	64

Additur tabula.

---



Tabula chronologica librorum, quos adhibuit auctor.

	Locum genuinum habent	Locum spurium habent	Dubli	Alii
Vergili operum editio Veneta . . . . .	1492			
I. Camerarius, G. Fabricius, Vergili opera. Bas.	1551			
Ph. Melanchthon, Vergili opera . . . . .	1553			
F. Ursinius, Virgilius collatione scriptorum Graecorum illustratus. Antv. . . . .	1568			
P. Manutius, Vergili opera. Antv. . . . .	1572			
De la Cerda, P. Virgilio Maronis Aeneidos libri sex priores ill. Madr. . . . .	1612		1746	
Nic. Heinsius-P. Burmannus, Vergili opera. Amst.	1767	sqq.		
Chr. G. Heyne, Vergili opera. Lips. . . . .	1816		1825	
G. Heyne-Fr. Wunderlich, Aeneidis libri I-VI. Lips. . . . .				
Chr. Iahn, Virgilio opera. Lips. . . . .	1830	sqq.		
G. Heyne-Ph. Wagner, Vergili opera. IV. ed. Lips.	1834			
C. Thiel, P. Virgilio Maronis Aeneis mit Erläuterungen. Berl. . . . .				1835
F. G. Welcker, Der epische Cyklus. Bonn . . . . .				1836
— Die griechischen Tragödien. Bonn . . . . .				
Hofmann-Peerlkamp, P. Virgilio Maronis Aeneis. Leidae . . . . .			1843	
Ph. Wagner, Die Gedichte des P. Vergilius Maro. 8. Aufl. Lpz. . . . .	1849			
Freund, P. Virgilio Maronis carmina m. deutschen Anmerkungen. Bresl. . . . .	1852			
Haeckermann, Neue Jahrb. f. Philologie u. Pädagogik. vol. XVIII. fasc. III. Lips. . . . .	1852			
Ladewig, Vergils Aeneis erklärt. 2. Aufl. Berl. . . . .	1855			
Henry, Adversaria Virgiliana. Philologus vol. XI . . . . .	1856			
Kuschel, Ueber die Quellen von Vergils Aeneide. Breslau . . . . .	1858		1859	
O. Gruppe, Minos. Lpz. . . . .	1860			
Ribbeck, Vergili opera. vol. II. Lips. . . . .	1861			
Ph. Wagner, P. Virgilio Maronis carmina breviter enarravit. III. ed. Lips. . . . .	1861			
Haeckermann, Commentatio in Aeneidis librum alterum. Gryph. . . . .	1863			

	Locum genui- num habent	Locum spuri- um habent	Dubii	Alii
Conrads, Quaestiones Virgilianae.	1863			
Ladewig, Beurteilung der Peerlkamp'schen Bemerkungen zu den ländlichen Gedichten Vergils. Neu-Strelitz.	1864			
Ribbeck, Prolegomena critica ad P. Vergili Maronis opera maiora. Lips.		1866		
Hansel, Bemerkungen zur Schul-Lektüre. Sagan.	1867			
Friedrich, Beitrag zur Erklärung des zweiten Gesanges der Aeneide des P. Vergilius Maro. Teschen.	1868			
Weidner, Commentar zu Vergils Aeneis Buch I und II. Lpz.	1869			
Zingerle, Ovid und sein Verhältnis zu den Vorgängern und gleichzeitigen römischen Dichtern. Innsbruck.	1869 sqq.			
Ladewig, De Vergilio verborum novatore. Neu-Strel.	1870			
Forbiger, P. Vergili Maronis opera. tom. II. Lips.	1873			
O. Iahn, Griechische Bilderchroniken. Bonn.	1873			
Schröter, Beiträge zur Kritik und Erklärung von Vergils Aeneis. I. Gr. Strelitz.	1875			1875
Ribbeck, Die römische Tragödie. Lpz.				1875
K. Lehrs, Ueber die Darstellungen der Helena in der Sage und den Schriftwerken der Griechen. Populäre Aufsätze aus dem Altertume. 2. Aufl. Lpz.				1875
Wiechmann, De Aeneidos libri II. compositione. Potsdam.	1876			
Gosrau, P. Virgilit Maronis Aeneis. II. ed. Quedlinburg.	1876			
Brandt, Zur Kritik und Exegese von Vergils Aeneis I—III. Bernburg.	1876			
Braumüller, Ueber Tropen und Figuren in Vergils Aeneis. I. Berl.	1877			
Schaper, Ueber die in der ersten Hälfte der Aeneis durch die moderne Kritik gewonnenen Resultate. Zeitschrift für das Gymnasium. XXXI.	1877			
Kappes (postea Wörner), Vergils Aeneide. Für den Schulgebrauch erläutert. 2. Aufl. Lpz.	1877			
Henry, Aeneidea. vol. II. Dublin.	1878			
Gebhardi, Die Aeneide Vergils, für Schüler bearbeitet. Paderb.	1879 sqq.			
H. Georgii, Die politische Tendenz der Aeneide Vergils. Stuttgart.	1880			
Pöhlig, Beiträge zur Erklärung der Aeneide Vergils. II. Teil. Seehausen.	1880			



	Locum genul- num habent	Locum spuri- um habent	Dubl	Alit
<b>Kvičala, Neue Beiträge zur Erklärung der Aeneis.</b>				
<b>Prag . . . . .</b>	1881			
<b>Robert, Bild und Lied. Philolog. Untersuchungen.</b>				
<b>vol. V. Berl. . . . .</b>	1881			
<b>Braumüller, Ueber Tropen und Figuren in Ver-</b>				
<b>gils Aeneis. II. Berl. . . . .</b>	1882			
<b>Gross, Kritisches und Exegetisches zu Vergils Ae-</b>				
<b>neis. Nürnberg . . . . .</b>	1883			
<b>Schüler, Quaestiones Vergilianae. Gryph. . . . .</b>		1883		
<b>Connington (-Nettleship), P. Vergili Maronis</b>			1884	
<b>opera with a commentary. vol. II. Lond. . . . .</b>				
<b>Roscher, Lexikon d. griech. u. röm. Mythologie. Berl.</b>	1884	sqq.		
<b>Koch-Georges, Wörterbuch zu den Gedichten des</b>				
<b>P. Vergilius Maro. 6. Aufl. Hann. . . . .</b>	1885			
<b>Thilo, P. Vergili Maronis carmina (cum praefa-</b>				
<b>tionē). Lips. . . . .</b>		1886		
<b>(Ladewig-)Schaper, Vergils Aeneis erklärt.</b>				
<b>8. Aufl. Berl. . . . .</b>	1886			
<b>Schmaus, Tacitus ein Nachahmer Vergils. Erlangen</b>	1887			
<b>Krafft, Zur Wortstellung Vergils. Goslar . . . . .</b>	1887			
<b>Deuticke, Jahresberichte des philolog. Vereins zu</b>				
<b>Berlin. vol. XV . . . . .</b>	1889			
<b>Sabbadini, Studi critici sulla Eneide. Lonigo . . .</b>	1889			
<b>(Ladewig-Schaper-)Deuticke, Vergils Aeneis</b>				
<b>erklärt. 11. Aufl. Berl. . . . .</b>	1891			
<b>Noack, Helena bei Vergil. Rhein. Mus. XLVIII N.F.</b>	1893			
<b>Leo, Plautinische Forschungen. Berl. . . . .</b>		1895		
<b>Belling, Studien über die Kompositionskunst Ver-</b>				
<b>gils in der Aeneide. Lpz. . . . .</b>	1899			
<b>F. A. Hirtzel, Aeneidis editio Bibliothecae Oxo-</b>				
<b>niensis . . . . .</b>	1900			
<b>Bürner, Vergils Einfluss b. d. Kirchenschriftstellern</b>				
<b>der vornikänischen Periode. Erlangen . . . . .</b>	1902			
<b>Heinze, Virgils epische Technik. 1. Aufl. Lpz. . . .</b>		1903		
<b>Norden, P. Vergilius Maro; Aeneis Buch VI. Lpz.</b>		1903		

**H. F. Fairclough, Classical Philology I, 1906 inspicere non potui.**

## PRAEFATIO.

Versus Aeneidis libri II 567—588 unico quodam atque miro modo ad nos pervenisse notum est. Desunt antiquis et bonis codicibus. Servius unus eos tradit — una cum IV versibus, quos defensores proemium Aeneidis esse dicunt — in praefatione<sup>1)</sup>, quae anteit ipsum commentarium; dicit ibi (p. 2 Th.) 'constare' versus a Varro et Tucca, Aeneidis editoribus, 'de-tractos' esse, cuius facti posteriore commentarii loco (ad II 592) causas duas obiter addit: nam turpe esse viro forti contra feminam irasci; deinde hunc locum repugnare iis rebus, quae libri VI versibus 510 sqq. de Helena narrentur.

Apparet summam hac memoriae forma praeberi difficultatem. Itaque profecta ab ea est dubitatio, utrum versus re vera genuini sint an spurii. Qua de re, cum permulti viri docti iam complura per saecula disputarint, nulla adhuc concordia orta est. Multi sunt defensores, perpauci adversarii: sed eo acriores. Invenias versus in notis aetatis nostrae Aeneidis editionibus in scholarum usum factis<sup>2)</sup>. Quid autem, quod legitur in notissimo R. Heinzii libro (p. 45): „Dass sie nicht von Virgil stammen, daran kann m. E. nicht der leiseste Zweifel bestehen“<sup>3)</sup>? Ars philologorum de se ipsa hac in difficultate desperare videtur et recte dixisse R. Wiechmannus p. 17: 'neque res dubia unquam decerni aut perduci ad liquidum poterit.'

Postulandum est ab eo, qui sibi proposuit rem tam antiquam, difficilem, gravem denuo tractare, ut omnia fere, quae adhuc cursu temporum tota de re scripta sint, investiget et perlegat. Quo labore qui est perfunctus, perspicit universae

1) Praetermittendum hic est, quod Reifferscheidius conatus est hanc praefationem Servio abrogare, quod rejecit Hagenus.

2) Quod ita fieri postulat Brandt p. 23, 2: „dass die ganze ... Stelle in einer Schulausgabe nicht fehlen darf, bedarf wohl keines Wortes.“

3) Adde quaeso, quomodo invehatur in hos versus Leo p. 39 sqq. 3.

quaestionis historiam, e qua ipsa sumenda est ratio rei denuo tractandae. Simul cognoscit a principio quaestionem e tribus partibus constare, quae sint hae: quaerendum est

I: de mira memoriae forma, qua inditur dubitatio, num genuini sint versus;

II: de re ipsa atque inventione, quae continentur;

III: de repugnantia, quae est inter hos versus et libri VI vv. 510 sqq.

Id unum vero spectandum est omnibus qui quaerunt et defensoribus et adversariis, ut tres illae quaestiones una atque communi ratione inter se solvantur. Sed nunc videamus, quid adhuc viri docti in difficultatibus illis tollendis profecerint.

## CAPVT I.

### Quaestionis historia critica.

Inveniuntur versus impressi in notis XV et XVI saeculi editionibus ut Vergiliani propter Servii testimonium et auctoritatem neque minus, quod inventio, quae continetur, aptissima videbatur ad nexum rerum, etsi consentaneum est iam illa aetate eos damnatos esse a nonnullis, quod deessent codicibus. Repugnantia aut neglegebatur aut interpolationis signum habebatur. Commemoratione autem dignissima est G. Fabricii sententia: 'videmus tamen poetas non raro diversa scribere, non ignorantiae historiae, sed dissensionibus eorum scriptorum, quos sequuntur'! Profero deinde Cerdæ insignem editionem, quae res illo loco proprie agatur<sup>1)</sup>; itaque reiecit dubitationem criticam, repugnantiam sane non agnovit. Ex Heinsii Burmannique editione apparet, quanto studio iam tum versus defensi sint contra viros criticos. Nituntur illi Fr. Campani, H. Stephani aliorum dissertationibus, de repugnantia Fabricii illa verba citantes; sed propter difficultatem illam in memoriae forma positam

1) Cf. p. 236: 'Irae Aeneae iustissimae sunt et tantam pestem aboleam, quis probro ducat? Ad haec, non perficit, tantum cogitat'; p. 287: 'hoc luculentissimos operosissimosque versus ... quos cum auferunt vulgaribus permoti affectibus, iustitiam ab Aenea adimunt'.



rem decernere non audent<sup>1)</sup>. Heynius in principali suo opere de hoc quoque loco bene meritus est. Primo sane, a. 1779, cum sibi persuasisset insignem esse inventionem, et repugnantiam neglexit et huic rei, quod desunt versus codicibus, vix quidquam attribuisse videtur. Sed posteriore in editione primus sententiam habuit versus illos non licentia editorum detractos esse, sed potius secundum ipsius poetae voluntatem atque iudicium, qui illos expunxisset! Addidit Wunderlichius, qui primus illius editionis curam suscepit, aptissimo modo comparans Vergilium cum 'historicis' Fabricii de diversis fontibus sententiam; quae studiose deinde recepit Wagnerus in magnam suam Heyniique editionem quartam a. 1830 sqq.<sup>2)</sup>. — Exstat igitur certa de versibus opinio, quam breviter in universum Heyniam voce- mus; quae augetur a Thilio in insigni Vergilii editione a. 1834, qui primus perspexit totam quaestionem et rationem, qua esset solvenda, cum censeret fere hoc: quod (sc. constanti atque com- muni modo) desunt versus codicibus, hoc minime impedit, quo- minus genuinos illos putemus; nam Varii et Tuccae summa auctoritate illud effectum est! Ipsi autem versus per se insignes et necessarii sunt. Quod attinet ad repugnantiam, Wunderlichium secutus Thilius primus diserte admonuit imperfectum Aeneidis statum adhibendum esse. Iam inventa est ratio, qua dubitatio critica tolli posse videtur. Sed cum adsit voluntas, tamen de- sunt vires et materies ad illud planius demonstrandum<sup>3)</sup>.

Incipiunt adversarii illius aetatis a Peerlkampio a. 1843, cuius nota est in recensendis poetis licentia. Quod versus de- sunt codicibus, h. e. quod exstat omnino quaestio, iam satis habuit ad eos delendos. Heynii et Thilii illam gravem opini-

---

1) In appendicem receperunt Ioh. P. Valeriani 'Castigationes', cf. p. 507.

2) Ceteroqui errore captus in Palatino codice versus exstare affirmavit. — Excusari autem illa aetate solebat repugnantia malo illo dicto 'Vergilius dormitans aliquando', cf. Wagneri Quaest. Verg. XL. — Reiecit simul Wagnerus, quod leviter conatus erat Iahnus a. 1825 versus non neces- sarios esse exteriori rerum nexui demonstrare; concesserat tamen ille quoque: 'orationis color utique cum Vergiliano convenit, neque hic locus per se poeta indignus est'.

3) Ceteroqui neglegendum non est praeterea in editorum commen- tariis iam satis multa allata esse ad interpretandos et vindicandos versus.

onem neglexit. Recte fecit, quod constanti ratione usus etiam Veneris interventum delevit, qua re agnovit arto nexu ambos locos coniunctos esse. Repugnantiae denique difficultatem simplici modo sustulit, cum etiam illum VI libri locum inferis dedicavit. — Invenimus versus in editionibus tum in scholarum usum factis, apud Wagnerum, Freundium, Ladewigium alios<sup>1)</sup>. Singulis verbis interpretandis studet Haeckermanus a. 1852: Peerlkampii illa argumentatio reicitur ut admodum superflua et ne refutatione quidem digna<sup>2)</sup>. Neque cuiquam ille persuasisse videtur. Anno 1856 Henry coepit interpretando loco operam navare. Augetur Vergilii fontium investigatio; inquiri Kuschelius a. 1858 de secundi quoque libri fontibus. Versus illos utique genuinos habet, etsi nondum in animum ei venit illam fontium investigationem iis quoque adhibere.

Postquam Peerlkampius e dubitatione sola, quae inditur memoriae forma, iam a principio sibi persuasit versus spurica esse, Gruppius secutus eum, quod ille tantum dixerat, probare quodammodo studuit viris doctis, scilicet quamvis audaci opinione: Servii auctoritatem nihil valere, testimonium illud potius vanam esse fabulam. Interpolatores callidissimos, grammaticos a librariis pecunia conductos et corruptos, editorum nominibus et auctoritate abusos esse, ut suos versus insererent Aeneidis textui. Ut omittam Gruppium haud levi repugnantia<sup>3)</sup> se implicasse, idem fecit, quod Peerlkampius, cum neglegenda putavit Heynii aliorumque graves sententias et ceteras singulas virorum doctorum curas; conatur hic quoque illi loco obtretere parvis in rebus, scilicet sub titulo „genauere Betrachtung in Bezug auf Komposition und Stil“ (p. 180). Gruppium re vera non studuisse rei aut inventioni intellegendis apparet e secundo quod ille dicit interpolationis signo<sup>4)</sup>. Repugnantia ab eo statim inter-

1) Etiam in Hauptii editione anni 1858.

2) p. 445 sq.

3) Cf. p. 182: „Die Mitteilung einer verlorenen . . . Stelle musste in den Augen aller Literatoren das grösste Interesse erregen“ et p. 180: „ . . . das ist doch wahrlich so stümperhaft, wie es Vergil nicht im Schlummer geschrieben haben kann, nicht in der flüchtigsten Skizze“ (sic!) — Sane vv. 583—585 interpolatorem nimis callidum ipsum se prodidisse putat.

4) Cf. p. 164: „dass es für sie durchaus an einem inneren Grunde fehlt.“ — „Der Inhalt war gleichgültig, es galt nur eben die Vermehrung der Zeilen“ p. 166.



polatori tribuitur, quasi alia eius explicatio cogitari non possit. Neglectis talibus difficultatibus restat tamen pro illa aetate opinio quaedam, quae neque probari neque ilico refutari potest: sub editorum nominibus interpolationem factam esse. Quae opinio iuxta vel contra Heynii-Thilii opinionem secunda facta est, ita ut in universum recentioris aetatis Heynius (vel Thilius) primus defensor et Gruppius primus adversarius elaborata quadam sententia certamen inauguraverint. Summi deinde momenti nobis est, quod Ribbeckius quoque primo diserte a defensoribus stetit, cuius verba gravissima ipsa afferam<sup>1)</sup>: 'uncis inclusi eos tantum versus, qui a Tuca et Vario oblitii desunt in optimis libris, quamquam nec hos spurios habeo nec eos qui (usque ad 627) sequuntur, sine reliquis stare posse puto. Disputavit de hoc loco suo more (sic!) Gruppe'. Iam videbimus, quomodo Ribbeckius hanc sententiam suam immutaverit in Prolegomenis criticis a. 1866. — Sequentibus annis, qui sunt usque ad illam Ribbeckii dissertationem, Gruppius in editores nullam habuit vim. Pergit a. 1863 Haeckermannus nova in commentatione locum interpretari. Ladewigius a. 1864 se vertit in Peerlkampii rationem Vergilii recensendi. Primus ille audacius potestae dicendi genus intellexit, de illo quoque loco bene meritus in editionibus suis. Sed omittendum est hoc tempore Conradssii a. 1863 opusculum, ut recte intellegamus, quomodo fieri potuerit, ut Ribbeckius iudicium suum immutaret.

Ribbeckius in propria provincia sua, dico artem textuum antiquorum critico modo recensendorum, optime de loco meritus erat, quod insignem atque rectissimum effecerat textum verborum, quo solo nobis utendum erit<sup>2)</sup>. Anno 1866<sup>3)</sup> dicit Gruppium se secutum<sup>4)</sup> putare interpolatorem versus scripsisse. Sed respice aliam argumentationis viam eum ingressum esse, subito num meliorem. Non ex nova et valida persuasione iudicium suum hausit, sed ambage quadam et refugio usus est, eam e tribus sententiis, quas per se cogitari posse putaret,

1) Cf. editionis a. 1860 vol. II p. 114 sub 'Varia lectio'.

2) Praecipue una est lectio eius 'ultricies flammae' v. 587, posterioribus studiis Vergilianis illustri modo comprobata, cf. p. 22, 4.

3) p. 91 sqq.

4) Thilonem quoque, qui sententiam suam mutavit, secutus est; cf. II edit. a. 1895 ad II 567 sub 'Varia lectio'.

duas reiceret debili probabilitatis mensura adhibita, ita ut tertiam denique habere cogeretur. Heynii-Thilii illa sententia refutanda ei videbatur, quod 'nec intellegitur' 'nec probabile' sit hoc — quod postea Weidnerus eodem iure contra interpolatorem invertit —: locum unum totius Aeneidis esse retractandum secundis curis a Vergilio destinatum! Quam opinionem sane nemo defensorum dixerat; nam iam a Servio refutatur, qui plures tales locos exstare scivit<sup>1)</sup>. Secundum quoddam per se fieri potuisse dicit Ribbeckius, quod, cum a principio contrarium sit optimae fidei et diligentiae editorum, ob id unum exstat, ut ilico a Ribbeckio ut 'nec magis credibile' reiciatur. Habuit ille autem a principio tam parvam fidem Heynii illi opinioni — nullo modo eam refutavit —, quod affert Servius illas detractionis causas, quae hoc huius historiae loco primo summi sed sane miserrimi fiunt momenti. Rectissime dicit Ribbeckius non solum primam (quam etiam Heynius dixerat levissimam), sed ambas causas futiles esse, cum etiam plures inveniuntur repugnantiae, si ob eas Varius et Tuca delevisse dicantur Vergili locum — summa cum licentia. Rationis autem vitium commisit Ribbeckius, qui propter Servii 'causas' etiam rem ipsam h. e. totum Servii testimonium reiciendum putavit. Nam iam per se apparet editores ne Servii quidem sententia barbaros licentia corruptos fuisse. Accedit autem hoc gravissimum, quod testimonium Servii, quod est de editorum opera, et causae, quae adduntur, longe diversae originis sunt neque omnino eiusdem pretii. Nam illud accepit Servius traditum, ita ut proprie dicat 'constat'. Causas vero non ei licuit afferre ut traditas in eadem praefatione, sed postea et alio nexu, e tribus ceteris locis uno (ad II 592 p. 305 Th.), ut suas proprias, cum incipiat suo iudicio: 'nec immerito'. Quod Ribbeckius hoc neglexit et praeterea tale illud inde conclusit, hoc fundamentum factum est totius novae eius sententiae, quam iniiit nulla interiore ipsius persuasione adductus<sup>2)</sup>. Repugnantiam vero consilii expers neglegere conatus est, cum excusavit Ver-

1) Cf. Serv. ad V 626: 'ergo constat quaestionem hanc unam esse de insolubilibus, quas non dubium est emendaturum fuisse Vergilium'.

2) Quod proprie significatur illis verbis 'Itaque malim' p. 98. — Quas praeterea attulit singulas vituperationes, levissimae sunt, de quibus etiam postea agendum nobis erit.



gilium 'leviuscule' (sic!) dormientem. Ribbeckii quaerendi ratio admodum opinabilis vel 'subiectiva' est. De vera ipsius loci inventionis vi et pretio tacuit.

Ne autem — non debilis Ribbeckii argumentatio sed — auctoritas ingenii eius impedimento esset toti quaestioni proficienti, exstitit statim eo plurium defensorum contradictio conixa ceteris studiis Vergilianis denuo tum efflorescentibus. Per XVII sequentes annos XX fere viri docti et plerique hi Vergilio proprie studentes undique afferunt materiam ad interpretandum et vindicandum locum, ac partim quidem in ipsum Ribbeckium se convertentes, partim iam liberi et ipsi rei confisi.

Ut gravis illa repugnantiae quaestio a Ribbeckio neglegere-  
tur, ob id tantum potuit fieri, quod aut non cognoverat aut neglexerat ille auctoritatem insignis Conradsii dissertationis a. 1863. Confusas priorum sententias, quae exstabant de imperfecto Aeneidis habitu et de hac difficultate, quid sibi vellent repugnantiae, reiecit Conradsius, qui unicam illam iam antiquo testimonio notam atque gravissimam omnium repugnantiam initio posuit dissertationis suae, ut praeclaro exemplo demonstraret: Vergilium diversis in libris — quos esse singula quasi corpora suo quodque nomine — diversas rationes secutum esse<sup>1)</sup>. Firmissimum atque novum extruxit Conradsius fundamentum sententiae Heynianae.

Primus contra Ribbeckium se convertens Friedrichius (p. 26 sqq.) amplificavit Heynii illam sententiam: putandum esse ipsum poetam in chirographo suo editoribus signum dedisse detrahendi loci, ita ut pietas et fides eorum, nulla autem licentia, etiam nunc evidens sit. Grave deinde est huius dissertationis, quod ostenditur difficilis Aeneae condicio, qui et interest Iliupersi et ipse eam narrat. Studet Friedrichius Vestae templi situi et fabricae generi explicandis; artificum quoque opera huc pertinentia iam tanguntur. Ea autem est Friedrichii argumentationis via, ut ab Ribbeckii sententia profectus demonstrat hoc „dass er (h. e. interpolator) keine Beziehung zum Ganzen . . . ausser Acht gelassen hat“<sup>2)</sup>. Negatur Ribbeckii argumentationem

1) p. 18. Optimo consilio usus Conradsius ad inventionem et verba vindicanda adhibet et commendat Cerdæ et Thilii commentaria, Iahnii illud argumentum leviter et obiter reiciens.

2) Permulta sane etiam Friedrichium effugerunt.

rei ipsi sufficere. — Reicitur illa etiam ab Hanselio a. 1867 ut „trotz aller objektiver Färbung doch meist subjektiv“ (p. 6). — Anno 1869 proficit tota quaestio Weidneri studiis. Primus hic cognovit, quanti momenti esset fontium investigationem illi loco adhibere: apud Vergilium, qui omnes notiores et graviores Iliupersis partes, quae apud Arctinum et Leschem exstabant, recepit, certam Priami caedis formam<sup>1)</sup> sequitur Helenae inventio eodem modo quo, Proclo teste, apud Arctinum. Tangitur ‘Helena reperta’ etiam ab Euripide in fabula, cui titulus est ‘Andromache’. Idem autem Veneris interventus invenitur apud Quintum Smyrnaeum<sup>2)</sup>. Fundamentum igitur inventionis, quae loco continetur, iam antiqua in fabula graeca exstat; quod poeta recepit ea ratione usus, ut Menelai loco Aeneam poneret. — Veram scilicet huius momenti gravitatem Weidnerus nondum cognovit; nam unum illud ei fuit praeter alia argumenta. Propositionem potius dedit studiis posterorum. Repugnantia nullius ei momenti visa est, cum etiam plures in Vergilii carmine imperfecto invenirentur. Ceteroqui haud paucas habuit Weidnerus novas observationes, quibus refutavit Ribbeckium, quod ad lumen attinet (p. 334 sqq.), quam vim habeat Vestae templum in Romanorum mentes, alia. Attulit imprimis priorum poetarum Romanorum locos ad interpretandum dicendi genus. Profecta est a Weidnero subtilior Vergilii interpretandi ratio etiam ad illum locum abundans. Quod audaciores vel novae nonnullae verborum complexiones ei soli defensorum etiam tum vix placuerunt, quamquam Vergilianas eas esse putabat, acceptum paene hoc videatur: nam eo clarius tum elucet novum Vergilii dicendi generis studium, quod inauguravit Ladewigius a. 1870 dissertatione, quae inscribitur ‘de Vergilio verborum novatore’, et in editionibus suis<sup>3)</sup>. Quae adhuc aut neglecta erant aut in locis dubiis interpolatoris signa habebantur, nunc summae videntur gravitatis ut Vergilii propria<sup>4)</sup>. Annis 1869 sqq. Zingerle ex Ovidii carminibus nonnullos locos affert. Forbigerus in docta editione sua a. 1873 veterem et simplicem opinionem

1) Quam Kuschelius primus intellexerat Arctini propriam; cf. p. 25.

2) Hoc iam viderat Ursinius a. 1668.

3) Rationem suam iam a. 1869 contra Peerlkampium explicaverat.

4) Vide, quomodo profecerit illud verborum novorum studium apud Nordenium.



Heynianam secutus imprimis Thilio nititur; ceteroqui bonum illius loci praebet commentarium.

Antiquae illi fabulae Helenae Troia capta repertae iam antea ii viri docti, qui artificum graecorum operibus studebant, maiorem vim attribuerant<sup>1)</sup>. Nam multa exstabant et vasum picturae et sculptorum opera, quorum imprimis nominanda est tabula Iliaca, qua continetur etiam Iliupersis Stesichori secundum exemplar effecta. O. Iahnus, qui unico modo duas has provincias, et artificum operum studium et philologiae disciplinam coniunxit, in inquirenda illa tabula a. 1873 (p. 33) plures locos e scriptorum operibus collegit<sup>2)</sup>, qui testimonio essent fabulam illam antiquitatis hominibus admodum notam fuisse. Quod singularum certarum partium, e quibus corpus Iliupersis<sup>3)</sup> constare solet, Helenae quoque illa fabula ut in tabula Iliaca ita etiam apud Vergilium exstat, plane consentaneum hoc videbatur, neque ullum locum Iahnus concessit dubitationi criticae.

Sequuntur proximo fere decennio multa virorum doctorum opuscula ad interpretandum Vergili carmen scripta, quorum abundant pleraque etiam ad II libri locum vindicandum. Schroeterus de verborum interpretatione agit, Wiechmannus imprimis de difficultatibus, quibus sese implicuit poeta ea in mentione, cum ipsum Aeneam narrantem fecit. Praeter Gossravii editionem commemoro Brandtium verborum textui recensendo operam navantem, qui contra Gruppium et Ribbeckium locum scholarum usui studiose postulat. Braumüllerus eligit exempla aptissima ad Vergilii usum dicendi demonstrandum. Schaperus contra Peerlkampium Weidneri contentiam sequitur: versus conexi rerum necessarios, dicendi genus integrum esse. Henry Foxii et Wackefeldii laudes citans et rem et verba pergit interpretari<sup>4)</sup>. Praeter Kappesii

1) Cf. Overbeck, Archäolog. Zeitung 1851 p. 357 sqq.; Michaelis, Der Parthenon, Lpz. 1871, p. 139; Heydemann, Iliupersis, Berlin 1866, p. 30.

2) Praeter Procli de Arctino testimonium commemoravit schol. Eurip. de Ibyco et Lesche, Euripidem, Aristophanem, Aristidem, Quinam; quorum singulos locos postea inspiciemus, cf. p. 25 sqq.

3) Cf. quod dicit Urlichs, Das hölzerne Pferd, Würzburg 1881, p. 15: „Inbegriff einer Iliupersis“.

4) Quod autem Henry putavit auctorem versuum Homeri Od. XX p. 5 sqq. imitatum esse, cum Heinzio omni modo hoc reiiciendum est.



et Gebhardii editiones nomino Georgii dissertationem, qui admonet penates publicos (v. II 296) in Vestae templo putandos esse. Poehligius fuse interpretatur v. 576.

Annus 1881 principalis est totius historiae, quam habuit quaestio, Kvičalae studiis. Priorum opera defensorum nisus hic primus diversorum fontium investigatione usus est ad repugnantiae difficultatem solvendam: secutus est Vergilius in Iliupersi narranda notam illam antiquam fabulam, qualem cognovimus a poetis cyclicis. Postea autem VI in libro elaborando animum induxit Helenae in excidio Troiae aliam personam tribuere; neque neglegentia quadam vel licentia commotus, sed tum quoque consulte fabula graeca usus. Primus cognovit Kvičala Helenam flammiferam, quae apud Tryphiodorum quoque inveniatur, iam in fabula graeca exstitisse. Intellexit ille repugnantiam non solum evidentem, sed etiam gravem esse et ad res graves attinentem, ita ut Vergilium ipsum eam optime scivisse necesse fuerit. Quod posterioribus curis repugnantiam tolli voluit II libri loco delendo, satis habuit in tempore signum vel adnotationem facere ad usum futurum; sed morte abreptus est. Secuti sunt editores necessario Vergilii intentionem, quod versus in suam editionem non receperunt. Dicitur potest Kvičalam antiquam opinionem Heynianam adeo fundasse, ut nemo deinde quidquam contradicere potuerit. Ad singula sane demonstranda etiam Kvičalae defuit materies; demonstravit hic quoque viam posteris. Nam restat quaerere, quomodo vel quibus de causis factum sit, ut Vergilius diversas de Helena fabulas sequeretur; fusius deinde exponendum erit, cur versus desint codicibus. Sed priusquam haec universa quaestionis solvendae ratio continetur<sup>1)</sup>, videamus, quae alia argumenta a viris doctis illa aetate allata sint. — Iuvat, quod comprobavit eodem anno 1881 Kvičalae sententiam K. Robertus in disciplina artificum operum et graecarum fabularum inquirendarum occupatus, qui agnovit illo loco et sequenti Veneris interventu contineri quod dicit „späte Nachklänge“ veteris inventionis graecae. Quod Kvičala v. 579 Wagneri priorem et Weidneri sententiam secutus spurium putavit, refutatur fuse insigni interpretatione a Grossi a. 1883. Braumuellerus pergit a. 1882 exempla sua e loco sumere.

1) Cf. p. 56, 1.

Quodsi a. 1883 novus existit adversarius Schuelerus, postulandum est, ut summi illorum defensorum laboris atque sudoris, imprimis Kvičalae, ratio habeatur. Quod minime cogitat Schuelerus, cum dicit antiquo illo argumento, quod defensores non iam agnoscunt, usus propter difficultatem quae est in memoriae forma satis se habere, quod praeter Peerlkampii et Gruppilii praecipue Ribbeckii sententiam sequatur <sup>1)</sup>. Mira est Schueleri opinio a posteris neglecta: interpolatorem insigne Vergilii consilium Aeneae et Helenae congressus narrandi poeta mortuo 'non recte' perfecisse, ita ut tum denique repugnantia oreretur. Elucet, quam difficilis sit adversariorum condicio in repugnantia defensoribus acceptissima. Apertus exstat vetustior quaestionis status, si inspicias Conningtonii editionem a. 1884. Exterioribus de causis, quae sunt de memoriae forma, spurius videtur locus, interioribus autem de causis, quae attinent ad inventionem et dicendi genus, genuinus. Quam ob rem insigne ibi invenias loci commentarium <sup>2)</sup>. Sed mirum, quod ille vir doctus putavit repugnantiam aut iam obscurari posse aut poetam oblitum esse II libri prioris loci. Nimis neglexit ille totam Kvičalae sententiam. Quod eo minus fit apud Roscherum; ubi invenitur tandem certum hoc et aptissimum de repugnantia dictum p. 1947: „2 verschiedene . . . Versionen“. Collecta sunt apud Roscherum simul testimonia ex artificum et scriptorum operibus. Kochius et Georges in vocabulario Vergiliano a. 1885, hic etiam in ceteris vocabulariis suis, suas secundum scientiae provincias genuinas habent imprimis eas audaciores verborum complexiones, quae antea interpolatoris signa habita erant.

Adversariorum deinde etiam Thilo a. 1886 (in praefatione editionis suae p. 31 sqq.) ex ipsa dubitatione, quae hauritur e memoriae forma, persuadet sibi locum spurium esse <sup>3)</sup>. Proprio modo ex uno verbo extremi Veneris interventus v. 619 'labori',

---

1) Cf. p. 21. Verbis illis, quae facit de 'difficultatibus et perversitatibus grammaticis' impugnare vult Weidnerum; sed neglexit levem illius negligentiam iam dudum sequentibus Ladewigii et aliorum studiis sartam esse.

2) V. 579 quoque defenditur.

3) Quod dicit nullum scriptorem quidquam e versibus illis protulisse, iam Burmanni editione hoc refutatur.



quod re vera ad totam Iliupersin, cui interfuerat Aeneas, spectat, concludit<sup>1)</sup> Venerem Aeneam a pugnando retinuisse, ita ut loco, quo contineatur Aeneae et Helenae congressus, totus rerum nexus interrumpatur. Sed scilicet non licet ceteram Veneris interventus sententiam et verba adeo neglegere; quae postea fusius tractabimus<sup>2)</sup>. Cetera, quibus singulatim Thilo loco obtrectare conatur, etsi reiciens Peerlkampii 'nimiam severitatem', ut levissima omittenda hic sunt. Proprium est Thilonis, quod nullum eorum argumentorum, quae defensores adhuc protulerunt, commemoratione dignum putavit, quasi omnino non exstet certa defensorum sententia. De repugnancia nihil dixit. Itaque non mirum videtur, quod Deutickius a. 1889, qui recensuit illam editionem et argumentationem, breviter tantum eam reiecit. Nullam illa tum habuit vim. Augentur contra studia Vergiliana, quibus defendatur ille quoque locus: Schmausius a. 1887 Taciti locum affert, quo imitatus ille est audax dicendi genus<sup>3)</sup>. Schaperus a. 1886 Ladewigii editionis curam simul cum loci defensione suscipit; recentioribus quoque in editionibus defenditur locus, ut apud Gebhardium-Mahnium, Brosinium-Heitkampium, alios. Krafftius exemplis utitur e loco illo sumptis a. 1887. Tum denique primus Sabbadinus studiose defendit etiam memoriae formam. Admonet gravem esse Servii auctoritatem. Editores Vergilii intentionem secuti versus non receperunt in publicam editionem, quam secuti sunt codices. Sed illa optima et publica memoriae forma non sola fuit. Singulae partes vel libri Aeneidis iam poeta vivo amicis primum, deinde etiam aliis noti facti sunt. Itaque Sabbadinii sententia orta est memoriae forma privata<sup>4)</sup>. Negari utique non potest iuxta primam et optimam etiam aliam deteriorem memoriae formam existere potuisse. — Recipit Deutickius a. 1891 curam editionis Ladewigii-Schaperi, primus

---

1) Idem e vv. 632 et 664 qui longe alterius et novi sunt nexus. Scholiastam Danielinum ad II 595 apparet refugio usum trans lacunam codicum interpretatum esse et opinatum id quod per se leviter et obiter cogitari possit: Aeneam in pugnā redire voluisse.

2) Cf. p. 46 sq.

3) p. 34. Tac. hist. I 20 super—erant, cf. v. 567.

4) Eodem autem modo traditi sunt locus II libri et illi IV versus, qui sunt de initio Aeneidis.

adhuc in editionis commentario commemorans poetam illis II et VI libri locis diversas fabulas secutum esse.

Si retro respicis: defensores recta via proficere videntur studiis suis Vergilianis superiores. Qua de via et ratione excessit Noackius a. 1893. Sit sane bene meritus, quod, ut alia multa omittam, poetam fabula graeca optima cum arte et propria ratione usum esse admonuit, sed male meritus est de tota quaestione, quod contra Weidnerum et Kvičalam Tryphiodori et Quinti Smyrnaei auctoritatem, quos a Vergilio pendere putabat, reiecit Helenam flammiferam ab ipso Vergilio libere inventam esse ratus<sup>1)</sup>. Repugnantiam vero admodum incredibili modo tollere conatus est. Etiam aliis rebus — ut exemplum afferam, ad dicendi genus defendendum Weidneri debili argumentatione nisus est — potius nocuit totius quaestionis progressui. Neque mirum quod tum ilico novus et eo acrior exsurrexit adversarius: Leo a. 1895 (p. 39 sqq.). Recte hic fecit, quod Noackii graves errores reicere voluit. Sed valde ipse erravit, quod simul cum Noackii etiam universae defensorum factionis sententiam refutasse sibi visus est. Neque enim, quod tum videri potuit, Noackius, quod recentissimus, etiam princeps defensorum fuit. Invertitur igitur tota quaestionis historia a Leone, qui denuo contendit locum necessario spurium putandum esse propter solam dubitationem e memoriae forma sumptam. Eo meliore iure autem illud dicere se posse putavit, quod illo libri sui loco studebat simplici modo et pura Vergili carmina tradita esse demonstrare<sup>2)</sup>. Renovare coactus est Leo Gruppianam opinionem: sub editorum nominibus interpolationem factam esse. Sed curnam Leo gravissimam illam repugnantiae difficultatem plane neglexit? Universum ipsius errorem inscienter Leo ipse in lucem protulit a. 1908, cum obiter dixit<sup>3)</sup>: „Was

1) Refutatur a Knaackio eiusdem voluminis p. 632 sqq.

2) Levissima nonnulla praeterea protulit Leo argumenta. Nam quod gravissimum hoc tantum contendit: „Der Nachweis, dass die Erfindung mit Motiven der Iliupersis stimmt, ist für Vergils Autorschaft nicht zu verwerten“, nihil hoc valere potest, cum argumenta non dicantur, quibus refutentur defensores. Ceterae vituperationes aut iam prioribus aut posterioribus studiis Vergilianis refutatae sunt; cf. impr. p. 49 sq.

3) Fr. Leo, Der Monolog im Drama. Abhandlungen der Königlichen Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philol.-Histor. Klasse N.F. X Nr. 5 p. 5, 1.



den Ursprung dieser Stelle angeht, so lohnt es sich nicht mit Leuten zu disputieren, die nicht wissen worum es sich handelt . . . , dass also die Unechtheit das Gegebene ist“ (sic!). Unde intellegitur Leonem nescire defensores optime conscios sibi esse, quae res omnino agatur. Rectius autem iam dudum defensores quam Leo iudicant e memoriae forma confirmari dubitationem, nullo modo iam ipsam versuum spuriam originem. Id ipsum autem studuerunt illi imprimis e Thilii aetate, ut etiam memoriae quaestionem solverent eadem ratione qua et inventionis et repugnantiae quaestiones. Leoni editores non obtemperaverunt<sup>1)</sup>. Anno 1899 Bellingius contra Ribbeckium defendit imprimis dicendi genus. Propria eius de memoriae forma opinio<sup>2)</sup> reiicienda est, cum Servii testimonium neglegatur<sup>3)</sup>. Anno 1902 Buernerus scriptoris christiani locum affert, quo comprobatur insignis Ribbeckii lectio ‘ultracis flammae’ v. 587<sup>4)</sup>.

Si nunc iterum respicimus ad quaestionis historiam modo tractatam, quam viam habuerit usque ad finem XIX saeculi, ea est duarum factionum differentia, quae in universum eadem mansit ab antiquioribus temporibus. Defensores

I: concinunt cum memoriae forma, h. e.

- a) nituntur Servii testimonio et auctoritate,
- b) quod versus desunt codicibus, editorum optima auctoritate factum hoc esse dicunt;

II: nituntur fontium investigatione et inventionis verborumque interpretatione una cum studiis Vergilianis promotis;

III: solvunt repugnantiae difficultatem profecti ex imperfecto Aeneidis habitu.

---

1) Conferas praeter aliorum Hirtzelii disertum atque concisum iudicium ad II 567 sqq. a. 1900; de Nordenio cf. p. 23, 2.

2) p. 177: „... dass einer der ältesten Textemendatoren sie obelisierte und seine Nachfolger sie ganz aus dem Texte verbannten.“

3) Ceteroqui Bellingius nondum profecit trans antiquam Weidneri de repugnantia sententiam. De dispositione versuum, quam primus cognovit, vide p. 45, 2.

4) Firmicus Maternus, De errore profanarum religionum 16, 3; Buernerus p. 48 sqq.



Adversariorum contra factio caret omni ratione provida. Profecti illi a sola dubitatione, quam hauriunt e memoriae forma

- I: Servii testimonium et auctoritatem vanissima putant;
- II: neglegentes defensorum studia Vergiliana obtrectare conantur loco, cum gravissima vitia investigent, quae ad interpolatorem deferant<sup>1)</sup>;
- III: de repugnantia, cum probabilis sententia excogitari non possit, aut misero utuntur refugio aut tacent plerumque ut Thilo et Leo.

In universum iudicandum est: defensorum sententia undique paulatim augeri atque fundari. Adversarii, cum iam ex ipsa dubitatione ilico sibi persuadeant locum spurium esse, contendunt hoc iterum iterumque, sed nihil certe demonstrare aut proficere possunt, quod deest omnis materia. Negari utique non potest e quaestionis historiae testimonio: genuinum esse locum non plane demonstratum, sed demonstrari coeptum esse.

Tum admodum inopinata res fit XX saeculi initio: Heinzius secutus Thilonem et Leonem hos viros totam quaestionem solvisse, h. e. locum sine ulla dubitatione spurium demonstrasse, dicit. Apparet iam hoc fundamentum Heinzii iudicii revocandum esse ad errorem 'historicum', cum neglexerit ille, quam habuerit universa quaestio historiam. Itaque ne Heinzii quidem argumentatio in Vergilii editores ullam vim habere potuit<sup>2)</sup>, etsi sane eorum, qui Heinzii librum recensuerunt, auctoritate totius libri suppressus nemo contradicere quidquam ausus est, quod illis quoque quaestionis historia vix nota fuit. Nostrum est ceteram Heinzii propriam argumentationem recensere historiae mensura adhibita. Sed iam videbis, qua ratione Heinzii exprobrationibus usuri simus.

Quod autem attinet ad novam propositionem nostram, iam ipsa tota quaestionis historia imperatur nobis illud quasi officium; nam continuanda et augenda sunt studia et argumentatio

---

1) Cf. p. 63 sq.

2) Nordenio excepto, qui nisus Heinziio et Leone quaestionem obiter tetigit p. 255.

priorum certos ad gradus iam progressa. Neque satis habebimus argumenta colligere, sed allata ordinabimus et aestimabimus certa ratione, ita ut vires eorum ad communem spectent terminum. Imprimis autem et praeter cetera unum semper ante oculos habendum nobis est: omnia, quae afferantur argumenta, non e nostro aut 'absoluto' iudicio, sed firma cum necessitate e toto nexu atque condicione rerum repetantur, quod, ut barbaro dicto utar, nominamus 'principium argumentationis immanentis' 1). Cum autem ille nexus constet in ipsa indole atque ingenio poetae, diligenter illis studendum est, ut certa mensura in manibus nobis sit, qua locum illum omnes atque intimas in partes dimetiamur. Studium illud praeclaro modo amplificatum est Heinzii notissimo libro, cui titulus est „Virgils epische Technik“. Invenitur hoc in libro dispositio, qua ordinata sunt omnia fere, quae de Vergilii arte scribendi dici possunt. Quem librum adhibebimus ad locum illum inquirendum et interpretandum. Ipsius autem Heinzii et aliorum exprobrationibus ita utemur, ut ab iis proficiscamur in singulis dissertationis particulis.

Cum locus ipse ut dubitatus numero versuum unicus exstet in Aeneide et quae eo continetur res in se quodammodo perfecta et gravioris sit momenti, postulo, ut quaestio, num Vergilius locum scripserit, iam ex ipsa 're' inquirenda solvatur. Nam hac in quaestionis parte imprimis certa argumenta postulanda sunt 2).

Inventione et compositione tractatis atque perspectis fieri poterit, ut repugnantiam inquiramus, qua inditur ratio memoriae formae explicandae. Extrema hac dissertatione disseremus de principalibus difficultatibus, quibus implicantur adversarii.

---

1) Demonstrandum erit II dissertationis capite adversarios gravissimos loci vitia se investigasse putavisse propterea tantum, quod illam rationem neglexerunt. Vide p. 23 II.

2) Verba, quae eiusdem ingenii sunt sive Vergilii sive interpolatorum per se non demonstrandi, sed potius comprobandi vim habent.

CAPVT II.

**De inventione et compositione.**

Perlectis versibus in universum interrogaverit quispiam: potuitne omnino fieri, ut Vergilius ea, quae versibus contineantur, mente conciperet? Iam nunc Heinzius obicit rem gravissimam omnium, quam nemo adhuc ita obicere ausus est (p. 45): inventionem non esse Vergilianam; nam nunquam fieri potuisse, ut Vergilius Aeneam suum Helenam ad Vestae aram interfectorum fingeret. Iam apparet ex hoc uno omnia pendere. Si recte illud est dictum, aliis argumentis opus non est; versus spurii sunt! Sed id ipsum nostrum erit demonstrare Heinzius ceterosque adversarios universam condicionem veram, quae sit illi loco cum libri II nexu, neglexisse<sup>1)</sup>.

**1. De 'Helena reperta' Iliupersis fabulae parte<sup>2)</sup>.**

a) Apud Graecos et Romanos poetas.

Quomodo Helena, cuius recuperandae causa tantum bellum exarsisset, Troia tandem capta reperitur, primus Arctinus in carmine, cui titulus erat 'Iliupersis', post Priami caedem ad Iovis aram factam narrasse videtur (VIII fere a. Chr. n. saeculo). Refert Proclus ex illo poemate<sup>3)</sup>: *καὶ Νεοπτόλεμος μὲν ἀποκτείνει Πρίαμον ἐπὶ τὸν τοῦ Διὸς τοῦ ἑρκείου βωμὸν καταφυγόντα, Μενέλαος δὲ ἀνευρῶν Ἑλένην ἐπὶ τὰς ναῦς κατὰ γαίην Δηίφοβον φονεύσας<sup>4)</sup>*. Amplificasse et variasse<sup>5)</sup> fabulam videtur Lesches in extremo suo poemate, quod vocabatur 'Ilias

1) Cf. p. 45: „Was bisher geschehen war, konnte wohl zu einem Verwünschen der Helena als der Ursache des ganzen Krieges Anlass geben, schwerlich zu dem wahnwitzigen Mordgedanken.“

2) Cf. Roscher sub 'Menelao' p. 2786 sqq., sub 'Helena' p. 1945 sqq.; Baumeister, Denkm. d. kl. A. I p. 742 sqq.

3) Cf. Welcker, Ep. Cykl. II p. 522.

4) Simili modo rem narrat Apollodorus epit. 5, 21.

5) Putant Overbeckius et alii ab Arctino et Lesche duas varias fabulae formas percerebruisse. Sed altera Leschis forma Arctini priorem alteram non excludit. Ceteroqui nostram in quaestionem illud nullius est momenti. Clarissima utique fuit Leschis fabulae forma.



mica'; quod testatur schol. ad Aristoph. Lys. 155<sup>1)</sup> quocum conferas schol. ad Aristoph. Vesp. 714<sup>2)</sup>. Narraverat Lesches post Priami caedem ad fores domus (cf. Paus. X 27, 1) factam fere hoc: Deiphobo interfecto Menelaum ira inflammatum, Helenam repertam interfecturum, propter formositatem illius amore captum gladium abiecisse. Haec Helenae repertae fabula certa atque necessaria totius Iliupersis fabulae pars ab illis poetis cyclicis percrebruit ad cetera poesis Graecae genera; neque minus vel potius saepissime ab artificibus tractata est.

Argumentum fuit Iliupersis Stesichoro<sup>3)</sup>, qui fortasse primus Helenam ad Veneris templum fugisse addidit<sup>4)</sup>, nisi iam epicae poesis illud est<sup>5)</sup>; deinde Ibyco<sup>1) 2) 6)</sup>. Additus est illa fere aetate etiam ipsius Veneris interventus, nescio an ab artificibus, pro ipso Menelai amore.

Etiam Pindarus Iliupersin carminibus adhibuit<sup>7)</sup>. Imprimis autem illa fabula a tragoediarum scriptoribus tractata est, qui antecedentem Priami caedem Arctinum secuti ad aram factam narrasse videntur<sup>8)</sup>. Scripsit Iliupersin ὄλην Aeschylus<sup>9)</sup>, in qua 'Helena reperta' deesse non potuit. Postquam illa Aeschyli tragoedia, qua una continebantur omnes graves Iliupersis partes, non placuit, Sophocles et Euripides<sup>10)</sup> Ili-

1) 'Ἡ ἱστορία παρ' Ἰβύκῳ· τὰ δὲ αὐτὰ καὶ Λέσχης ὁ Πυρραῖος ἐν τῇ μικρῇ Ἰλιάδι:

2) 'Καὶ τὸ ξίφος οὐ δύναμαι (sc. κατέχειν)': "Ὡσερ ὁ Μενέλαος τοῦτον γὰρ ὀρμήσαντα ἐπὶ τῇ Ἑλένῃ ἀποβαλεῖν τὸ ξίφος· ἡ δὲ ἱστορία παρ' Ἰβύκῳ . . .

3) Cf. Welckeri opusc. I p. 181 sqq.; O. Iahn p. 34.

4) Quod putat Robert p. 77 sq. propter tabulam Iliacam; cf. Luckenbach, Das Verhältnis der griech. Vasenbilder zu den Gedichten des epischen Kyklos, Jahrb. f. class. Phil. Suppl. XI p. 633.

5) Quod putat Noack p. 428, 3.

6) Schol. Eur. Andr. 629: ἄμεινον ὁκονόμηται τὰ παρὰ Ἰβύκῳ· εἰς γὰρ Ἀφροδίτης ναὸν καταφεύγει ἡ Ἑλένη κἀκεῖθεν διαλέγεται τῷ Μενελάῳ· ὁ δ' ὑπ' ἔρωτος ἀφίησι τὸ ξίφος. Cf. Welcker, Die griech. Trag. p. 8 sq.

7) Cf. Welcker, Die griech. Trag. p. 10.

8) Cf. Eur. Hec. 22 sqq.; Tro. 16 sq.; 481 sqq.

9) Cf. Welcker p. 29 sqq.; p. 39, 8; opusc. I p. 357 sqq.; opusc. III p. 10 sqq. „Philoktetes oder Iliens Zerstörung“.

10) Hunc, ut exemplum afferret, nominavit Aristoteles, de arte poetica c. 18.

persin κατὰ μέρος fusius scripsisse videntur. Tractavisse Sophoclem singulas fabulae partes ordinatim singulis tragoediis demonstratur titulis, qui ad nos pervenerunt <sup>1)</sup>, veluti *Λαοκόων*, *Σίνων*, *Πρίαμος*, *Αίχμαλωτίδες*, *Πολυξένη*. Helenae repertae fabula Welckeri sententia exstabat in tragoedia, cui erat titulus: *Ἑλένης ἀρπαγή* <sup>2)</sup> <sup>3)</sup>.

Omnium autem Euripides summi nobis est momenti, qui duabus in tragoediis illa fabula usus est, sed diverso modo. In *‘Andromacha’* fabula ut notissima tantum tangitur v. 627 sqq.:

ἐλῶν δὲ Τροίαν . . . . .  
οὐκ ἔκτανες γυναιῖκα χειρίαν λαβῶν,  
ἀλλ’ ὡς ἐσεῖδες μαστόν, ἐκβαλὼν ξίφος  
φίλημ’ ἐδέξω, προδότιν αἰκάλλων κίνα,  
ἦσσαν πεφυκῶς Κίπριδος . . . <sup>4)</sup>.

Detracto colore inhonesto, quem addidit suo more fabulae Euripides, restat fabula nota Helenae a Menelao repertae, sed a Venere servatae. In *Troadibus* <sup>5)</sup> contra, ubi fusius Euripides fabulam adhibuit, Menelaos iam a principio in animo habet v. 876 sqq.:

. . . . . τὸν μὲν ἐν Τροίᾳ μῦρον  
Ἑλένης εἶσαι, ναυπόρῳ δ’ ἄγειν πλάτη  
Ἑλληνίδ’ εἰς γῆν κᾶτ’ ἐκεῖ δοῦναι κτανεῖν  
ποιναῖς ὄσων τεθνᾶσ’ ἐν Ἰλίῳ φίλοι.

Quo loco id spectavit Euripides, ut Helena apud Menelaum sophistarum modo orationem defensoriam habere pos-

1) Welcker, Die griech. Trag. p. 59 sqq.

2) Cui locus est inter *‘Priamum’* et *‘Aichmalotidas’*; cf. Welcker, Die griech. Trag. p. 158 sq.; p. 160: „für Sophocles ein herrlicher Stoff“. — Etiam in aliis Sophoclis tragoediis Helenae illam fabulam tactam esse putat Welckerus, Die griech. Trag. I p. 170, 172.

3) Scripserunt praeterea Pliipersin Agathon, Cleophon, Iophon, Nicomachus alii, quos invenias apud Welckerum vol. III. Helenae proprie fabulae studuerunt Diogenes Sinopensis et Theodectes, qui fortasse in *Ἑλένη* *‘Helenam repertam’* tractavit; v. Ribbeck, Röm. Trag. p. 410.

4) *Androm.* 685 sq.: εἰ δ’ εἰς πρόσοψιν τῆς ἐμῆς ἐλθὼν ἐγὼ γυναικὸς ἴσον μὴ κτανεῖν, ἐσωφρόνονν. El. 1027 sq.

5) Quae tragoedia ceteroqui similis videtur Sophoclis tragoediae, quae vocabatur *Αίχμαλωτίδες*; cf. Eur. Tro. 871.



set<sup>1)</sup>. Deinde autem manet Menelao in animo vv. 1055 sqq.:

ἔλθοῦσα δ' Ἄργος ὥσπερ ἀξία κακῶς  
κακῇ θανεῖται . . . . .<sup>2)</sup>.

Videmus Euripidem antiquam illam et validam fabulam, qualem primo acceperat, postea artis sophistarum et rhetorum gratia debilitasse<sup>3)</sup>. Sed quod vetustiore in tragoedia vetustioris fabulae formam ut notissimam obiter tantum et alterius personae ore tetigit, verisimile est eum spectasse ad tragoediam vetustioris poetae, qui fabulam fusius tractaverat<sup>4)</sup>. Sed adeo nota illa fuit, ut certum proverbium oreretur (Eur. Or. v. 1287):

ἄρ' εἰς τὸ κάλλος ἐκκεκώφηται ξίφη;

Neque comoediarum scriptores acceptissimum illud argumentum effugere potuit<sup>5)</sup>. Aristophanes eo obiter usus est, cum imitatus est suo more Euripidem adversarium Lys. v. 155:

ὁ γὰρ Μενέλαος τᾶς Ἑλένας τὰ μάλ' ἀπα  
γυμνᾶς παρενιδῶν ἐξέβαλ', οἴῳ, τὸ ξίφος<sup>6)</sup>.

Tertio saeculo praeter alios Euphorion vel Euphronius Iliupersis fabulam tractavit. Scriptorum<sup>7)</sup> huc afferam Pausaniam, qui in describendo Cypseli cistam narrat V 18, 3: Μενέλαος δὲ . . . . . θώρακά τε ἐνδεδνκῶς καὶ ἔχων ξίφος ἐπεισὶν Ἑλένην ἀποκτεῖναι δῆλα ὡς ἀλισκομένης Ἴλλου. Aristides

1) Imprimis Ibyci fabulae formam rhetorica sua ratione amplificavit cf. p. 26, 6.

2) Scimus sane postea amorem Helenae Menelao maioris fore pretii quam mortem, quo quadrant quae novimus ex 'Oreste', cf. v. 1105 Ἑλένην κτάνωμεν, Μενέλεφ λύπην πικράν.

3) Recentiori huic fabulae formae Veneris interventus non iam usui fuit. Venus sophistarum modo μῶρα dicitur Troad. v. 989. — Antiqua fabulae forma paulum iam elucet ex Hecubae verbis Tro. 891: ὄρῳν δὲ τήνδε φεῦγε, μή σ' ἔλη πόθφ.

4) Priamum Euripides quoque ad aram interfectum esse dicit cf. p. 26, 8.

5) Phormis Sicilianus comoediarum scriptor composuit fabulam, cui titulus fuit Ἴλλου πόρθησις.

6) Tractaverunt Helenae fabulam Philyllius veteris comoediae poeta, deinde Alexis et Anaxandrides mediae comoediae, quorum prioris comoediam Ἑλένης ἀρπαγή similem Sophoclis tragoediae eiusdem nominis fuisse opinatur Welcker, Die griech. Trag. I p. 161; de Menandro cf. p. 29.

7) Hellanicus logographus depinxit Iliupersin in opere, cui titulus fuit Τρωϊκά.

in oratione XLVI proverbio notissimo usus esse videtur, cum diceret<sup>1)</sup>: ἐκβάλλουσιν τὴν γλῶτταν ὥσπερ ὁ Μενέλεως τὸ ξίφος . . . .

Adhibendi denique sunt Quintus Smyrnaeus et Tryphiodorus IV et V saeculi, quos antiquos fontes secutos esse Heinzius demonstravit neque cuiquam ipsos legenti latere potest. Narrat Quintus fuse veterem fabulam Posthom. XIII 355 sqq.: post Priami caedem ad aram factam, Deiphobo quoque interfecto, repperit Menelaos Helenam (vv. 385 ssq.), quae anxia fugerat, sane non ad Veneris templum, sed ad ultimos domus angulos:

ᾠρμηθεν κτανέειν ζηλημοσύνησι νόοιο,  
εἰ μὴ οἱ κατέρυξε βλην ἐρόεσσ' Ἀφροδίτη,  
ἢ δὲ οἱ ἐκ χειρῶν ἔβαλε ξίφος, ἔσχε δ' ἐρωήν.

In Tryphiodori carmine, cui titulus est Ἄλωσις Ἰλλίου Deiphobo necato v. 627 quomodo Menelaus Helenam repertam, quae antea face vocaverat Graecos, illo tempore accipiat, non iam dicitur fusius<sup>2)</sup>.

Sed nunc ad Romanos nos vertamus. Quorum praecipue poetae tragici simul cum Iliupersi etiam Helenae repertae fabulam acceperunt a Graecis tragoediarum scriptoribus. Quod perierunt illorum tragoediae, summo nobis detrimento est. Servati sunt versus singuli et tituli. Narravit Livius Andronicus Iliupersin sub titulo 'Equos Troianus'; quod idem fecit Naevius. Ac huius quidem tragoediae unus ad nos pervenit versus tribuendus Menelao Helenae modo repertae dicenti<sup>3)</sup>: 'Nunquam hodie effugies quin mea moriaris manu'. — Plauto, qui in Iliupersi sua Bacch. 961 sqq. Menelai, Paridis, Helenae personis fortasse Menandrum secutus usus est, certe Helenae repertae fabula notissima fuit. — Imprimis Ennius Sophoclem et Euripidem secutus Iliupersin tractavit sub titulis singularum

1) ed. Dindorf vol. II p. 399.

2) Inverso ordine Tryphiodorus Priami (mortem Helenam repertam sequentem facit.

3) Cf. Ribbeck p. 48 sq.; Gesch. d. röm. Dichtung p. 20: „Der Equos Troianus des Naevius, in welchem . . . die vom altgriechischen Epos her berühmte Begegnung zwischen Menelaos und der ungetreuen Helena vorkam, scheint sich als Zugstück bis in die ciceronische Zeit hinein auf der Bühne erhalten zu haben.“ — Naevius in univ. versum maiorem vim in Vergilium habuit.

personarum. Qui fata Andromachae, Hecubae aliorum depinxit et Priamum ad Iovis aram interfectum narravit <sup>1)</sup>, eum proximam Helenae repertae fabulam neglegere non potuisse censeo. Tetigit praeterea hanc fabulam ut omnibus notissimam in 'Iphigenia' sua, qua in tragoedia scribenda et Sophoclem et Euripidem ante oculos habuit <sup>2)</sup>, ubi dicit Agamemno Menelao v. 225 (Vahl. ed.):

Helena redeat, virgo pereat innocens?

Tua reconcilietur uxor, mea necetur filia?

Neque deesse potuit fabula apud Accium, clarissimum tragoediarum scriptorum, qui tragoedia tituli 'Deiphobus' Iliupersin amplexus est <sup>3)</sup>. Etiam in Troadibus <sup>4)</sup> et Antenoridis <sup>5)</sup> Helenam repertam illum commemorasse putandum est <sup>6)</sup>.

Vidimus fabulam Helenae repertae atque servatae universam per antiquitatem Graecis et Romanis, et his quidem et a Graecorum et ab ipsorum poetis, notissimam fuisse ut certam atque necessariam Iliupersis corporis partem (post Deiphobi caedem) Priami trucidationem secutam <sup>7)</sup>. Quod idem etiam aptiore modo demonstratur multis artifi-

1) Androm. v. 97 sqq. Vahl. ed.

2) Cf. Ribbeck p. 686.

3) Ribbeck p. 411. Sed credible non est Accium iam Helenam aditricem fecisse Menelai et Ulixis Deiphobum trucidantium, quia postea apud Vergilium (in VI libro) hoc fiat; ex iis autem, quae brevissime refert Proclus ex Arctini Iliupersi, intellegi de hac re nihil potest; potius putandum est apud Accium fabulam narratam esse ut adhuc apud ceteros poetas vidimus, quibus ignota est Helena *ἀνδροκτόνος*, cf. p. 56, 6.

4) Sive Euripidis Troades sive Sophoclis Aichmalotides secutus est.

5) Sophoclem fortasse secutus.

6) Cf. Ribbeck p. 909 sq.; Welcker III p. 1487 sq. — Scriptorum Romanorum, qui post Vergilii carmen antiquam Helenae repertae fabulam tetigerunt, nemo iam fusius antiquam fabulae formam narravit; plerique Euripidis posteriorem formam ante oculos habuisse videntur: Prop. III 32, 31 Tyndaris . . . sine decreto viva reducta. Sen. Tro. 926 me meus traxit statim sine sorte dominus; Tro. 1145; Agam. 274 Ignovit Helenae: iuncta Menelao redit. Dictys V 13 sine sorte. Dares c. 43 maesta domum reportatur cum suo Menelao.

7) Contra Heinzii sententiam p. 6: „Keine ältere Iliupersis hatte kanonische Geltung erlangt“ cum Urlichsio et aliis admonendum est tamen certas quasdam fabulae partes necessarias esse Iliupersis corpori vel notioni.



cum operibus<sup>1)</sup>, quorum satis habeo praeter insignes vasum imagines<sup>2)</sup> Parthenonis metopa<sup>3)</sup> et tabulam Iliacam<sup>4)</sup> proferre. Neque mirum est, quod haec pulcherrima Iliupersis pars praeter ceteras hominum mentes attraxisse videtur. Nam cum tristes vel crudeles pleraeque illae sint, imprimis innocentis Priami senis caedes, Helenae atque Menelai congressus primo crudelis tantum videtur, ut ilico eo dulcior fiat amoris gratia.

1) Servata sunt versus plus quam viginti, permulta perierunt; de nonnullis exstant scriptorum testimonia: Polygnotus depinxit Iliupersin in Stoa Atheniensi et in Lesche Delphica Leschem secutus (hac altera in tabula Helena iam paulo ante a Menelao reperta omnibus admirationi est): Paus. X 25 sq.; insculpta fuit Iliupersis fronti Heraei Argivi (cf. Paus. II 17, 3) et Iovis templi Agrigentini (cf. Diod. XIII 82); de clara Cypseli cista cf. supra p. 28.

2) Quas enumeravit Heydemannus, Iliupersis, Berlin 1866, p. 30, 5; cf. Overbeck, Gall. 26, 12; Baumeister, Denkm. d. kl. A. I p. 742 sqq. tab. 798 sq. Helena his in imaginibus saepius ad Minervae statuam fugit et crinibus a Menelaoprehenditur, quod alterum etiam in tabula Iliaca ante Veneris templum fit, cf. Eur. Hel. 116. Itaque Menelaus Helenam interfectorum Aiacei Cassandram interfectorum adeo similis est interdum, ut ambo per se vix distingui possint. Sed in vase Vivenziano (cf. etiam Heydemann tab. II 2a) putem non Aiacei Cassandram, sed Menelaum Helenam interfectorum esse propterea, quod in universae Iliupersis nexu clarior et gravioris momenti est haec fabulae pars quam illa; deinde propter tenorem et ordinem singularum Iliupersis partium. A dextra ad sinistram aspicientibus illam imaginem post Deiphobum, qui interfectorum humi iacere videtur, Priamus ad aram trucidatur; iuxta aram stat laurus, quae eadem invenitur apud Vergilium (II 513). Post Priami caedem et ante Aeneam cum patre et filio fugientem noto Iliupersis partium ordine locus non est Aiacei et Cassandreae, sed Menelao et Helenae. Quod femina sub radice statuae Minervae assidet, nullo modo Helena, sed potius Cassandra dignum hoc est. — Vergilio scilicet etiam Aias Cassandram ad Minervae statuam fugientem petiturus notus fuit; sed vide, ut hoc anticipem, quomodo poeta hanc inventionem Graecam ut ita dicam dissolverit II 403 sqq. et obiter tantum per Coroebi personam Iliupersi suae inseruerit. Fusius non adhibuit illam inventionem, quod per se fieri potuit, ut similem inventionem Aeneae Helenam ad templum deae fugientem petituri in culmine eiusdem libri eo praeclariore modo narrare posset.

3) Cf. Michaelis, Der Parthenon, Lpz. 1871, p. 139.

4) Cf. O. Iahn p. 4; 32 sqq. tab. I; Baumeister p. 716 tab. XIII. Tabula Iliaca sive Vergilio vivo sive paulo post a Graeco sculptore in usum scholarum Romanarum effecta est; vide etiam Iahnii tab. III, IV E.

b) Quomodo Vergilius inventione Graeca usus sit.

Intellegere nunc possumus et debemus, si Vergilius suscepisset antiquam Iliupersin denuo Romanis scribere, hoc proposito iam a principio contineri post Priami caedis etiam Helenae repertae narrationem, finem fere totius Iliupersis. Dicitur non potest Vergilium fabulam recepisse in Iliupersin suam, quod Lesches hoc fecisset vel alius aliquis, quem sequi vellet, sed continua atque constanti ratione inhaesit fabula antiquitatis ingenio, cuius particulae quaedam fuerunt ingenia Vergilii Romanorumque, quorum gratia ille carmen suum scripsit. Itaque id solum fuit poetae spectandum, ut quam aptissima ratione illud argumentum vel fundamentum eius quidem universi sui operis nexui insereret. Ut totum carmen ita etiam Iliupersis posita est in Aeneae persona, quem omnibus rebus gerendis interesse necesse est, ut eas narrare possit<sup>1)</sup>. Quam ob rem poeta ea sola ratione usus est, ut tantum ipsam Helenam repertam et a Venere servatam reciperet, Menelaum autem detraheret et pro eo Aeneam suum ipsum poneret. Simul varianda fuit causa, de qua Helena nunc iam ab Aenea reperta punianda est. Nam Menelao multanda fuit imprimis pro adulterio ut deserto coniugi. Aeneae nunc punianda est, quod est causa totius belli et caedis. Gravissimum vero hoc, quod poeta hanc causarum commutationem non libere vel licenter excogitavit, sed mansit in antiquitatis ingenio, cum notum Euripidis exemplar ante oculos habuerit.

α) Quomodo Vergilius Euripidis exemplar secutus sit.

Ac primum quidem demonstrandum est poetam Euripidis de Helena sententiam recepisse. — Helena femina clarissima apud antiquitatis homines habebatur. Sed a divina sua altitudine paulatim descendit usque ad exemplar feminae perni-

---

1) Itaque Deiphobi coniugis interfectio, quae inter Priami caedem et Helenae inventionem in Deiphobi thalamo fieri solebat, narrari non potuit. Eo remedio Vergilius usus est, ut iam II 310 Aeneam, qui in tectum evaserit, videntem faceret Deiphobi domum irruentem et ardentem, secutus Leschem, qui Deiphobi domum primam flagrasse narravit. Putare utique nos vult poeta Menelaum primam illam domum petivisse, ut Helenam caperet, et ibi Deiphobum interfecisse.



ciosae atque adulterae, quae turpis fama (Eur. Hel. 135 Ἑλένης ἀσχροὺν κλέος) praecipue ab Euripide profecta est<sup>1)</sup>. Homerus, imprimis in Odyssia, Helenae adulterium ignovisse videtur<sup>2)</sup>. Neque in Iliade illa vera belli causa putatur, sed dei<sup>3)</sup>. Homerum secutus est Aeschylus, cuius sententia Helena, quamvis perniciosa sit, Troiam venit πομπᾷ Διὸς ξενίου<sup>4)</sup>. Quam sententiam altiore etiam Sophoclem habuisse verisimile est<sup>5)</sup>. Euripides autem, qui abiicit omne ὑψηλόν, humile quoddam atque odiosum, quod a principio in Helenae persona latebat, in lucem protulit atque auxit, proprium hoc Euripidis et illius aetatis ingenii. Sublatis dis, quibus auctoribus apud priores poetas Helena causa belli facta erat<sup>6)</sup>, liberum erat Euripidis acerrimum in illam odium atque contemptus; utrumque recepit Vergilius suum in usum<sup>7)</sup>.

Apud Euripidem Helena non solum in universum causa est belli Troiaeque captae, sed est propria causa odiosa unicuique, qui omnino in illo bello aut ob illud bellum mortem obiit vel etiam obiturus est<sup>8)</sup>, imprimis cognatis suis. Est igitur Helena

1) Dissertuit de hac re Lehrsius l. c.

2) Non item Hesiodus; cf. fr. 93, 7, Rzachii ed. p. 351.

3) Homeri sententia est Priami Γ 164.

4) Cf. Agam. v. 748. — Vocatur Helena ἱερῆς τις ἄτας 736; Euripides iam Helenam ipsam vocat ἄταν Androm. 103. — Cf. p. 33, 6. 8.

5) Sophoclis Ἑλένης γάμος (σατυρικός) sane iam ad Euripidis potius ingenium spectasse videtur.

6) Dixerat Aeschylus Agam. 736 (Helena) ἐκ θεοῦ προσεδρέφθη, quod impugnat Euripides Tro. 766 sqq. οὐ ποτ' εἶ Διός, . . . οὐ γὰρ ποτ' ἐγγὼ Ζῆνα γ' ἐκφῦσαι σ' ἐγώ; ironice dicit Euripides Andr. 680 Ἑλένη ἰ' ἀμόχθησ' οὐχ' ἐκοῦσ', ἀλλ' ἐκ θεῶν.

7) Demonstravit Lehrsius p. 30 sqq. humilem Helenae famam tamen in vulgus vix percrebruisse, cum Graeci et imprimis Lacedaemonii templis Helenam venerarentur. Permultum autem valet, quod humilis de Helena sententia a Romanis accepta est, quibus illa Helenae veneratio placet: quin vero aucta est turpis Helenae fama adeo, ut quasi meretricis exemplar haberetur et verbum 'Lacaena' in illius verbi significationem veniret; cf. Lucil. XVII 540; Cat. 68, 99; 68, 103; Hor. c. II 11, 81; III 3, 25; IV 9, 13; sat. I 3, 107; Prop. III 34, 88. Ovidius, ut ita dicam, dedicavit Helenae epistolam V, quam scribit Oenone Paridi: cf. Iupr. v. 60 dira paelice, 70 turpis amica, 99, 117, 125; a. am. II 359 sqq.; Ann. Lucan. X 60; Stat. Ach. I 946.

8) Quod apud Aeschylum Agam. 1455 sqq. chorus dixerat: Ἑλένα μία τις πολλὰς, τὰς πάνν πολλὰς ψυχὰς ὀλέσασ' ὑπὸ Τροίᾳ, a Clytaemestra



et Troibus et Graecis communis causa universae calamitatis atque miseriae<sup>1)</sup>. Receptit insigni modo Vergilius hanc sententiam<sup>2)</sup> et expressit certo dicto, cum appellatur Helena v. 573:

Troïae et patriae communis<sup>3)</sup> erinys.

Sequitur, ut Helena<sup>4)</sup> apud omnes homines summo in odio sit<sup>5)</sup>; notiones *στυγνή, στυγερά, ἐχθρίστη*<sup>6)</sup> adhibuit Vergilius v. 601: '(facies) invisā'; praecipue autem dis ipsis invisā est:

reiectum erat 1464 sqq. Euripides contra chori sententiam proprie recepit Tro. 368, 780 sq.; dicitur plerumque: *μία* (Helena vel eius *γάμος*) *ἀπόλεσεν, ἔκτεινε, εἶλε*, similia: Or. 130, 743, 1135, 1306; Tro. 134 sqq. *σφάζει Πρίαμον*, 773, 780, 1044, 1214 sq.; Rhés. 912; Iph. Aul. 1418 sq.; Iph. Taur. 356; Hec. 266, 443, 947; Hel. 52 sq., 73, 135, 202, 280; El. 480; Androm. 105 sq., 284, 489.

1) Hoc obiter tetigit Lehrsius p. 24. Tantum duos locos afferam: Tro. 771 *πολλοῖσι κῆρα βαρβάροις Ἑλλησι τε. ὄλοιο*. Hel. 109 sq. *ὦ τλήμων Ἑλένη, διὰ σ' ἀπόλλυνται Φρύγες. καὶ πρὸς γ' Ἀχαιοί*.

2) Insigne illius sententiae Euripideae atque Vergilianae testimonium praebet Seneca, qui ipse quoque illorum poetarum praecipue Euripideae secutus Helenam turpi modo tractavit eodemque modo quo Vergilius certis dictis sententiam suam expressit: Agam. 274 (ed. Peiper-Richter) quae Europam et Asiam paribus afflixit malis; 773 Lacaena; 832; Oct. 787 vultus Tyndaridos, qui moverunt horrida bella phrygiaeque solo regna dederē (cf. Eur. Tro. 772 sq.). In Troadibus Helena, cui Seneca turpe tribuit personam, acerrimis dictis increpatur aut ipsa se plangit: v. 902 sqq. Helena pestis exitium lues utriusque populi! — haec hymen sparsit tuus; 906 tibi fluxit Asiae, fluxit Europae cruor; 1145 sic viro turpis suo reddatur Helena; 863 dum luem tantam Troiae atque Achivis quae tulit Spartam procul absit; 871 Quicumque hymen funestus in laetabilis lamen caedes sanguinem gemitus habet, est auspice Helena dignus. eversis quae nocere cogor Phrygibus; 924 in me victor et victus furit; 927 casus bellorum fui tantaeque Teucris cladis. — Puto ego, Senecae ut ceteram Vergilii Iliupersin ita locum, de quo nobis sit quaestio, notissimum fuisse (cf. etiam Sen. Tro. 19, 56 cum Aen. II 581; Agam. 794 cum II 580). Imprimis Priami caedem, quae anteit Aeneae et Helenae congressum imitatus videtur, cf. Tro. 44 sqq. cum Aen. II 550 sqq., 581; Tro. 140 sq. cum II 558.

3) Vergilium et Senecam anteit Catullus, qui propter Helenam dixit 68, 87: Troia (nefas) commune sepulcrum Asiae Europaeque.

4) Helenam comitantur *ἀμφίπολοι Φρύγες* Or. 1417 vel *Ἰλιάδων* Tro. 245, apud Vergilium Iliadum turba et Phrygiae ministrae II 580.

5) Eur. Hel. 926 *Ἑλένην γὰρ οὐδεὶς ὄστις οὐ στυγεῖ βροτῶν*; Hel. 85; 81.

6) Tro. 131, 211, 598, 781, 898 (Menelao); Or. 1153; Hel. 72.

Or. 19 θεοῖς στυγνομένη, Tro. 1213 θεοστυγής, Or. 130 et Hel. 74 sq. θεοί σε μισήσειαν, ἀποπτύσειαν; quod vertit Vergilius, qui aliis locis dicto 'dis invisus' utitur, cum Helena ad aram fugerit, ita ut ipsis 'aris invisā' sit v. 574<sup>1)</sup>). Quod tanto in odio atque contemptu illa est unicuique, etiam Menelao, non iam digna habetur, quae suo nomine appelletur: Tro. 869 sq. τὴν τάλαιναν, οὐ γὰρ ἠδέως ὄνομα δάμαρτος ἢ ποτ' ἦν ἐμὴ λέγω. Itaque vitatur apud Vergilium illius nomen et ambitur dictis Euripideis: 'Tyndaris'<sup>2)</sup> v. 569, 601 et 'Lacaena'<sup>3)</sup> v. 601, VI 511; quo altero verbo, cum adulterium illa commiserit<sup>4)</sup> et meretricis fere modo se gerat (cf. Or. 128sq.), Vergilius primus pro meretrice uti videtur. Increpatur Helena ab Euripide durissimis verbis: κακοῦργος, κακόφρων, ἀνόσιος, μῖσος, ἄτη, κῆνος<sup>5)</sup>; respondent apud Vergilium dirae: 'nefas'<sup>6)</sup> v. 585, scelus exitiale VI 511, sceleratas II 576. Gravissimum vero omnium est, quod appellatur Helena v. 573 'eriny's'. Etsi Ennius hoc tragicum Helenae nomen<sup>7)</sup> iam verterat verbo 'furia'<sup>8)</sup>, tamen poeta noster ad ipsum verbum Graecum revertit validi coloris gratia: dixerat Aeschylus Agam. 749 νυμφόκλαντος Ἐρινύς; dixerat Euripides illum secutus Or. 1387 sq. δυσελένας, ξεστῶν περγάμων Ἀπολλωνίων Ἐρινύν.

Sed Vergilius non solum Euripidis de Helena sententiam recepit. Helena, cuius tales sunt culpa atque fama, etiam puni-enda est. Et hoc quoque argumentum tractaverat iam Euripides. Orestis, in tragoedia eiusdem tituli, poena et ultio exigendae sunt ab Helena, non iam pro adulterio proprie, sed quod est odiosa causa totius belli et caedis. Quae propositio congruit cum ea, quam Vergilius Aeneae suo ab antiqua Helenae reper-tae fabula attributurus erat<sup>9)</sup>.

1) De hac interpretatione cf. p. 38.

2) Tro. 34; Hec. 269; Hel. 472, 614, 1179; El. 480; Iph. Aul. 1418.

3) Androm. 486; Hec. 441; Tro. 34.

4) Cf. Aen. VI 527 famam veterum malorum.

5) Κακόν μέγα, κακή, κακίστη, ἄχθος, τάλαινα, μάργος alia.

6) Cf. p. 34, 3.

7) Quod receperunt etiam libri Sibyll. III 414 sqq.

8) Alex. 525 (Vahl). Iudicabit iudicium inclytum (cf. Eur. Tro. 924) inter deas tres aliquis, quo iudicio mulier furiarum una adveniet (cf. Eur. Tro. 457).

9) Notiones τιμωρεῖσθαι, τίειν apud Euripidem exstant imprimis

Apud Euripidem Pylades <sup>1)</sup> orationem habet suasoriam, qua demonstret Oresti rhetorum modo Helenam necessario et optimo iure necandam esse. Quam deliberationem Vergilius imitatus est; sed, cum altera persona in illo II libri culmine desit, suo proprio rerum nexui eam accommodavit, cum e Pyladis ore eam transtulit in ipsius Aeneae animum, ita ut sermo intimus eius fieret, quo exoriatur consilium 'Helenae repertae' interficiendae. Iam accuratius inquiremus <sup>2)</sup>, quae ex illo Euripidis loco poeta receperit, mutaverit, omiserit; cognoscemus, quam recte suo iure, libertate, arte usus sit. Hoc loco de imitandi ratione satis habeo unum admonere: ἀντιθέσις vel oppositio rhetorica, in qua versatur Pyladis oratio, Aeneae quoque meditationis fundamentum facta est.

Si retro respicimus, iam nunc concedendum mihi videtur poetam antiqua fabula et simul Euripidis exemplari ea insigni ratione usum esse, quam vere et proprie Vergilianam novimus. Assecutus est, ut fabulam Graecam immutaret in fabulam proprie Romanam. Viderent Romani Aeneam suum, patrem populi Romani, iusta cum ulciscendi ira invehentem in illam furiam, solam causam odiosam totius Iliupersis modo peractae. Haec est inventio nova et pathetici ingenii proprie Vergiliani, quam explicavit poeta ex inventionione Graeca. Praeclaram eam esse iam multi viderunt <sup>3)</sup>.

### β) De ipso interficiendi consilio.

Postquam fundamentum extruximus sententiae nostrae, nunc tandem vertamus nos ad principalem illam Heinzii vituperationem: Aeneam virum pium Helenam Vestae in templo ad aram interfecturum nefarium crimen commissurum esse. Iam Cerda talem vituperationem nimis facili modo reici

---

Or. 1117, 1134, 1160; Tro. 1034. Ultionem iustam esse dicitur Or. 1361, 1512. Apud Vergilium respondent dicta gravissima: ulcisci v. 576, sumere poenas; poena v. 584, sumpsisse merentis poenas v. 585 sq.; ultricis flammae v. 587. — Poena ipsa, qua digna est Helena, minus significatur simplici verbo ἀποκτείνειν vel 'interficere' quam acriore verbo φονεύειν Or. 1130, 1579, vel apud Vergilium: extinxisse 585.

1) Or. vv. 1131—1152.

2) p. 42 sqq.

3) De Veneris interventu, altera inventionionis parte, agetur p. 45 sq.



posse putavit, cum admoneret<sup>1)</sup>: '(Aeneas) non perficit, tantum cogitat'; quod sane per se rectum est, sed tamen sufficere nemini potest<sup>2)</sup>. Potius res ex ipso Vergilii Iliupersis nexu explicanda mihi videtur.

Poetae in fontibus Graecis, quod fabulae naturae consentaneum est, Helena ad Veneris templum fugerat<sup>3)</sup>. Sed curnam poeta Veneris templi loco Vestae posuit? Detracto Menelao etiam ea proprie Graeca Venus, quae tantum pro ipso Menelai amore e Menelai corde protracta erat, ut illum retineret, tollenda poetae fuit<sup>4)</sup>, itemque Veneris ut amoris templum. Quod autem novum templum substituendum fuit viro Romano? <sup>5)</sup> Libri II vv. 293 sqq. Hector Aeneae somnianti Troiae sacra et penates commendat. Deinde ille 'vittas Vestamque potentem aeternumque adytis effert penetralibus ignem'. Rectissime admonuit Georgiius p. 14: „dass Vergil die Staatspenaten im Sinne hat, die er sich wie die römischen im Vestatempel verwahrt denkt“<sup>6)</sup>. Ergo Vestae templum omnibus Troibus unicus est momenti<sup>7)</sup>; et Aeneae, quod — ut citem Heinzii verba — „mit den Penaten in den Schutz des Aeneas gegeben war“, et Helenae fugitivae, quod ibi maxime et diutissime a Graecis et Troibus tutam se fore putat. Sed Vestae templo substituto etiam aliud idque gravissimum poeta assecutus est. Aeneas in somnio versatus in Vestae templo cum ceteris etiam deam ipsam efferri et servari videt. Deinde re vera Panthus, totius arcis h. e. etiam Vestae sacerdos, Aeneae obviam venit et illa sacra victosque deos, inter hos praecipue etiam Vestam, in Aeneae domum aufert, cui postea in Latium deportanda sunt. Ex illo tem-

1) p. 236.

2) Putaverunt alii recentiores verbo 'sceleratas' (sc. poenas) Aeneam postea conscium criminis apud Didonem se excusare; quod plane reiendum mihi videtur.

3) In vasculis etiam ad Minervae statuum; opinor, quod Cassandra simili condicione Aiace persequente eo fugerat; cf. p. 31, 2.

4) De nova Venere Romana cf. p. 45 sq.

5) Minervae templum substituere poetae non licuit primum propter situm illius summa in arce minime idoneum, deinde quod a Minervae templo iam Cassandra II 403 'trahebatur'; cf. p. 31, 2.

6) Weidnerus p. 342: „Auch im penetrale des Vestatempels zu Rom glaubte man diese troischen Heiligtümer zu besitzen . . .“

7) Cf. Aen. IX 259.

pore licet Troia deleatur, licet templa quoque incendio cremen-  
tur<sup>1)</sup>: 'excessere omnes (1) adytis arisque relictis di,  
quibus imperium hoc steterat'; II 351 sq. Sequitur necessario,  
ut Helena, quam ad aram fugere necesse sit, tamen ad talem  
'relictam' fugerit; qua in re simul id spectavit Vergilius, ne  
di penates vel Vesta dea Helenam, propter quam ipsi 'victi'<sup>2)</sup>  
sunt, etiam tuerentur<sup>3)</sup>. Sedet igitur Helena nunc relictis 'aris'  
quoque ipsis 'invisa'<sup>4)</sup> in templo et hoc maxime idoneo loco  
prope Priami domum in tempore Aeneae ultori et punitori suo  
sub aspectum venit. — Apparet poetam vv. 293 sqq., 319 sqq.,  
351 sq. scribentem iam Helenam ad deae aram fugientem ante  
oculos habuisse.

Sed etiam alia ratio Vergilii observanda est, qua redarguatur  
Heinzii vituperatio. Illud interficiendi consilium ea sola condi-  
cione vere poeticum est et Vergilio dignum et ob id ipsum  
omnino exstat, ut numquam perficiatur<sup>5)</sup>; quale Vergilius ex  
antiqua fabula illud recipere debuit. Perhorruit poeta Euripi-  
dis illam crudelitatem et humilitatem, qui Helenam re vera ab  
Oreste interfici fecit. Nam id ipsum Vergilii personarum et im-  
primis Aeneae proprium est: pro vere perfectis actionibus cer-  
tissima exstant consilia perficiendi, quae significantur vividissi-  
mis affectibus. Ut proximum exemplum afferam: Aeneas neglecto  
Hectoris fugiendi imperato proruit in pugnam perpetuoque pro  
patria fortiter pugnans mori cupit: in medios hostes irrumpit;  
sed nunquam cadere ei licet<sup>6)</sup>.

Denique Heinzius neglexisse videtur Aeneam, h. e. poetam,  
illius interficiendi consilii gravitatis admodum conscium esse<sup>7)</sup>

1) Quae re vera deinde fiunt cf. II 764: incensis adytis.

2) Cf. II 320 victosque deos.

3) Nam aliter mirum per se videatur, quod Vesta tutelam fugitivam  
minime tueretur. Venus autem, quae tamen Aeneam retinet extra alte-  
rius deae templum, etiam multo graviore de causa a poeta recepta est;  
cf. p. 46.

4) Hanc interpretationem conexu rerum postulari puto; cf. praeterea  
p. 35. Accedit denique, quod Vergilius dativum iuxta ipsum verbum  
'invisus' ponere solet.

5) Hoc tetigit leviter Kvičala l. c.

6) Cf. Friedrich p. 22: „Was in der Materie nicht zu ändern ist, das  
ändert er in der Form.“

7) Cf. imprimis ipsius dubitationem vv. 583 sqq.

et causas, de quibus Helena punienda sit, ipsum diserte atque insigni arte poetica explicare<sup>1)</sup>. Ut summum Aeneae odium atque ira ita id, quod comitantur illa, interficiendi consilium, heroica sunt atque quod dicitur *παθητικόν*<sup>2)</sup>, h. e. Vergiliana<sup>3)</sup>.

## 2. De compositione.

Aeneas narrans ingentem Iliupersis calamitatem quasi in scena seriem singulorum actuum praetereuntem facit. Neque iam narrari sed denuo fieri videntur omnia. Aeneas autem ipse toti Iliupersi interest. Prima sane libri parte in Troium vulgo versatus putandus est, quod indicatur prima pluralis persona. A versu CCL secunda sequitur tragoediae pars; iam Aeneas ipse inducitur et somnians. Post Hectoris visum sequenti in pugna mediam quandam agit personam: ex turba pugnantium modo hic modo illic eum emergentem videmus. Deinde — respice progressum — ascendit ille Priami domus tectum, et ibi quoque primo tantum inter socios rem agit. Sequitur culmen Iliupersis — Aeneae ipsius persona neglecta —: pugna et caedes in Priami domo, denique ipsius Priami casus. Horribili senis mutilati aspectu renovatur et Aeneae et nostrae menti totius Troiae — sequamur Vergili rationem — ‘trucidatio’.

‘At me tum primum saevos circumstetit horror, obstipui’.  
Nunc primum Aeneas, unus reliquus factus, conscius sibi fit universae condicionis suae. Ingentis tragoediae impressio atque

---

1) Quod nos sequenti capitis parte accurate inquiremus. Recte dicit Heinzius Helenam feminam inermem non esse Camillam pugnacem. Sed scilicet longe aliae et multo graviores sunt causae, de quibus Helena interficiatur. Helena et Camilla utraque per se sui unici est generis, quas confundere non licet.

2) Cf. Georgii, Die antike Aeneiskritik, p. 134 (a. 1891): „Wenn Aeneas die Helena als Ursächerin all des Jammers erschlagen will, so ist das vom heroischen Standpunkt aus so wenig ein ‘furere’ als wenn Hildebrand Kriemhild tötet...“ Pro verbo ‘furere’ ponas „wahnwitziger Mordgedanke“.

3) Hoc loco commemoretur, quantopere erraverit Heinzius, cum principale opprobrium suum protrahere conatus sit ex illa prima detrahendi causa, quam addidit Servius (ad II 592) nuntio cetero; Heinzius auxit Servii illud dictum. Sed scilicet consulte Servius non dixit Aeneam nefarium crimen commissurum esse, quod optime intellexit nexum rerum, quae agantur.



vis hoc loco comprehenditur et quasi exoneratur in Aeneam ad concutiendum eius animum et ad excitandum eius affectum doloris et horroris. Confecta nunc ipsa Iliupersi sequitur culmen secundi libri ab illo versu 559. Ex hoc loco Aeneas solus primam gerit personam per tertiam h. e. ultimam libri partem. — Apparet ingeniosa ratione Vergilium narrationem ad scalarum modum exstruxisse ad culmen. Et turbae actione paulatim atque gradatim primae personae actio explicatur. Ac nunc quidem Aeneae protagonistae simul ac monagonistae facto proprie 'agendum est'. Haec autem quaestio II libri culmine contineri mihi videtur: quid Aeneae Iliupersi peracta faciendum sit<sup>1)</sup>.

Triplici ratione poetica Vergilius usus est, qua illa quaestio solvatur: primum<sup>2)</sup> momentum est interius, ex ipsius Aeneae animo secundum res adhuc gestas necessario ortum, nullo novo vel exteriori facto provocatum, a poeta ipso excogitatum: in illo Aeneae dolore atque stupore patet animus eius recordationi: deseruit patrem, uxorem, filium, quos, quin 'iam flammae tulerint inimicus et hauserit ensis' (v. 600) vix est dubitatio<sup>3)</sup>. Tamen pietate abreptus auxilium ferre conetur; sed deest ultima ratio: desertus est ab omnibus sociis, neque ei soli ulla patet via per hostes et flammam<sup>4)</sup>. Sequitur, ut Aeneas hoc tempore desperatione captus consilio careat et iterum animus eius pateat, ita ut sequi possit: secundum momentum<sup>5)</sup>: hoc autem obtingit admodum inopinatum, validum, exteriori causa ortum, sed etiam hoc hominum rationi consentaneum, cuius inventionis fundamentum poeta e Graecorum fabula accepit: Aeneas aspicit Helenam, odiosam causam Iliupersis modo peractae, causam patris, uxoris, filii trucidatorum, quibus auxilium ferre non iam potuit. Fortuna illa furia nunc iustissimae poenae offerri videtur: punitor Aeneas electus est. Provocatur igitur Aeneas ad agendum. — Ergo haec est res: ex Iliupersi Aeneae impositus erat, ut barbaramente loquar, passivus affectus

1) Structura rerum, quae a v. 559 usque ad v. 632 continentur, non casui sed certae poetae rationi tribuenda esse mihi videtur.

2) II 560—566.

3) Iam v. 312 proximae domus ardebant vel irruerant.

4) Cf. v. 632.

5) II 567—588.

doloris atque horroris; Helenae aspectu subito ille mutatur in activum affectum irae et furoris ulciscendi atque puniendi. Haec mihi adhuc vis atque effectus loci esse videtur, qui in universum cum Iliupersi et singulatim cum versibus antecedentibus 560—566 <sup>1)</sup> intimo nexu coniunctus est.

### De ipsius loci compositione (cf. tabulam).

Sed inquiramus, quomodo consilium Helenae interficiendae ex Aeneae animo gradatim explicetur.

Aeneas in propinquo et noto Vestae templo subito aspicit feminam <sup>2)</sup>. Oculis fidere non audet, sed profecto: est Helena! Iam Aeneas per ruinas viam quaerit, ut propius accedat perspiciatque situm rerum, num fortasse quis Helenam persequatur <sup>3)</sup>, cum incendiis elucentibus auxilium ei fertur. Nunc tandem veram percipit <sup>4)</sup> Helenae condicionem, cur fugerit ad aram, odiosa illa et Graecis victoribus et Troibus victis. Ut iam v. 568 ita nunc v. 574 legentibus nobis depingitur Helena fugitiva, exanimata poenae timore, relictæ arae quoque invisæ. Dicendi modus adhuc tranquillus iam semel diris Graecis 'erinys' v. 573 interrumpitur. Denique v. 575 summus exardescit affectus, quo comitante oritur primum totius loci culmen, quo continetur propositio, vel constitutio causae, quae est duplex; prima: ulcisci, secunda: poenas sumere <sup>5)</sup>. Duo sunt Aeneae officia, quae constanter certis verbis significantur.

Alterum est universum, obiectivum <sup>6)</sup>, antiquum: poena, quam iustam et iam diu <sup>7)</sup> meritam Helena, ut erat adulterio suo omnino causa belli, adhuc praecipue a Graecis

1) Cf. v. 587 cineres satiasset meorum.

2) Tardis participiis v. 568 depingitur quomodo Aeneas paulatim tantum incerta luce singula perspiciat.

3) Hoc quoque v. 570 contineri opinor. Antiquis in vasculis nonnullis Menelaus sequitur Helenam ad aram fugientem.

4) Simul scilicet poeta iis, qui audiunt, rem aperit; quod Vergilii proprium est, cf. Heinzi p. 376.

5) Quas cave confundas.

6) Liceat hoc et sequenti barbaro verbo uti.

7) Troum recentius est odium.

victoribus et a Menelao proprie irato timuerat<sup>1)</sup> (v. 572), nunc simul cum illa Menelai ira ad Aeneam defertur, quam sumat pro Graecis et Troibus: v. 575 ira, v. 576 poenas.

Alterum est proprium, subiectivum, novum: Aeneas ulcisci debet suam patriam et scilicet suos interfectos. — Nemini iam dubium est, quin causae, de quibus Helena sit punianda, iustae sint, et Aeneae officiis suis fungendum sit. Sed observa: ut locus, quo agatur de Helenae poena, non solum necessario sequatur Iliupersin, cuius causa est Helena, sed etiam in se ipse fundatus et absolutus sit, iterum explicantur causae illae sed nunc ipsius Aeneae ore. Aperit nobis poeta animum Aeneae sui et ostendit id, ut Heinzii locum p. 282 afferam: „was sich dem Dichter bei psychologischer Analyse der Empfindungen als ihre Komponenten oder faktischen Grundlagen herausgestellt hat“. Neque inepto modo, quae iam scimus, licet poetae iterum narrare: narrationis forma non iam sufficit<sup>2)</sup>: vividissima sermonis intimi forma utitur. Res ipsa, quae ea continetur, admodum poetica ratione conformata est<sup>3)</sup>.

In prima Aeneae argumentatione acerrimus adhibetur oppositus<sup>4)</sup>. Prospicit Aeneas in futuram Helenae condicionem: nulla ei est dubitatio, quin venia impetrata beata uxor beatam in patriam reditura sit<sup>5)</sup>. Respicit deinde Aeneas ad ipsius

1) Haec Helena, quae versu 572 continetur, restat ut antiqua Helena fabulae Graecae.

2) Vide p. 52.

3) Adnotationibus demonstrandum erit, quomodo Vergilius in singulis rebus elaborandis Pyladis orationem suasoriam imitatus sit; cf. p. 36.

4) Cui respondet apud Euripidem oppositus vv. 1143—1146.

5) Perlucet hic Romanis audientibus notissima Helenae a Menelao repertae fabula; Aeneas ipse sane pro certo opinari tantum potest Menelaum Helenae repertae formositate victum iri. Sed consulte vitavit scilicet poeta de hac fabula Graeca, quam ipse commutaverat, admonere; potius noto poetarum modo usus, quae sit proxima reditus causa, dicere omisit et statim Aeneam ipsum reditum providentem fecit, quod aptissimum videtur ad Aeneae summum affectum. — Helena reperta, sed tantum in universum Helena a Menelao recuperata apud Euripidem a Pylade quoque affertur

v. 1143 οὐ δαί ποτ' οὐ δαί Μενέλεων μὲν εὐτυχεῖν

v. 1146 δόμους τ' ἔχειν σούς, δι' Ἀγαμέμνονος δόρον λαβόντα νύμφην.  
Menelai illud εὐτυχεῖν Vergilius detracto Menelao Aeneae in ore detulit ad Helenam in patriam redeuntem.



patriam potius miserrima caede extinctam<sup>1)</sup> propter illam Helenam. Subtili modo poeta illi fusiori verborum triplici ambitui opposuit tria dicta brevia atque concisa. Versibus 577—580, quos e conexu excipias, praeclara imago absoluta continetur; quae ob id exstat, ut eo acrius fiat contrarium, si conferas vv. 581 sq., quibus comprehenditur Iliupersis miseria<sup>2)</sup>. Statim sequitur conclusio, ac primum quidem ‘negativa’ valido modo expressa. Admodum conscius factus officii fortuna patria, pietate imperati Aeneas dubitationem, quam aliquis obicere possit, ut nullam reicit et refutat. Haec autem est sententia illius dubitationis, quae graece nominatur *ὕποφορά*<sup>3)</sup>: aliter atque in universum non proprie laudatur, qui poenam — sc. quamvis iustam de femina sumit<sup>4)</sup>. Tamen ego Aeneas laudabor<sup>5)</sup> ab hominibus, quod Helenam, tale nefas,

1) Pylades v. 1144 Menelai felici condicioni opponit Orestis miseram condicionem: *τὸν σὸν δὲ πατέρα καὶ σὲ κάδελφὴν θανεῖν*, cuius causa est Helena.

2) Admiranda est ars poetae, qui in elaborando hoc contrario imitatus est Homerum et Ennium claros duos poetas epicos. Γ 140 Helena desiderio afficitur:

*ἀνδρός τε προτέροιο καὶ ἄστεος ἧδὲ τοκῆων*

cf. II 579 coniugiumque domumque patres natosque videbit.

v. 582 ante oculos habuit notum illud Homeri *ῥέε δ’ αἵματι γαῖα* et Ennii illud ‘terra sudat sanguine’. Hect. Lustra 150. (Cf. incogn. fab. 69 ferro ... occidit.)

3) Quae a multis falso percepta est; summa est vis verbi ‘etsi’.

4) Conformavit Vergilius dubitationem e Pyladis vv. 1132 sq.:

*εἰ μὲν γὰρ εἰς γυναιῖκα σφραρονεστέραν*

*ξίφος μεθεῖμεν, δυσκλεῆς ἂν ἦν φόνος.*

Consulte poeta *δυσκλεῆς* vertit ‘negative’ in ‘nullum memorabile nomen’ et ‘nec habet . . . laudem’. Nam illud non idem esto atque ‘turpe’, quod ne diceret, cavet poeta. — Similia sunt et tamen plane diversa quae meditat Arruns Aen. XI 789 sqq. Camillam interfecturus: ‘haec dira meo dum volnere pestis pulsa cadat, patrias remeabo inglorius urbes’; ‘inglorius’ non est ‘turpis’ sed germane „ohne Ruhm davon zu ernten“. — Cf. Aen. IV 94 sq.

5) Praetermisit poeta Eur. vv. 1134—1136 et tantum vv. 1137—1139 (qui opponuntur cum vv. 1134—1136 a Pylade versibus 1132 sq.) breviter accommodavit suo rerum nexui. A Pylade proferuntur summa hominum laetitia et laudes interfectoris:

*ὀλολυγμός ἐσται, πῦρ τ’ ἀνάψουσιν θεοῖς,*

*σοὶ πολλὰ κάμοι κέδν’ ἀρώμενοι τυχεῖν.*

Accepit poeta illas laudes — cf. etiam Tro. 890 *αἰνῶ σε, Μενέλα’, εἰ*

in tempore — h. e. priusquam a Menelao reperta veniam impetret — extinxit<sup>1)</sup>. Vix casu — opinor — illa ὑποφορά duplici est forma: altera eius pars spectare possit ad universum illud Aeneae officium, quod significatur verbo 'poena'; altera ad proprium officium; nam 'victoriam' quaerit Aeneas de patriae suae inimica ulciscendi causa; cf. v. 571 'infestos eversa ob Pergama Teucros'.

Dubitatione reiecta conclusio 'negativa' augetur in conclusionem 'positivam'. Propositio versus 576 iteratur sed etiam amplificatur, quod ad rem et verba attinet, ita ut etiam novae audacesque verborum complexiones oriantur! Inverso ordine officia duo augentur certa in consilia: alterum universum atque 'obiectivum', sed nunc dupliciter conformatum: Aeneas Helenam utique extincturus est, quod est nefas, h. e. idem fere atque 'eriny's' et Graecorum et Troum v. 573. Cum extincturus ille est, proprie poenam meritam sumpturus est de causa totius belli. Quod postquam fecerit: laudabitur sc. ab hominibus, et Troibus et Graecis.

Alterum est proprium atque 'subiectivum' Aeneae, gravissima de causa duplicatum: ulciscenda est ipsius patria (quod spectat ad Iliupersin peractam); ulciscendi admodum proprie denique sunt pater, uxor, filius (quod spectat ad vv. 560 sqq.). Hac ultione — cf. 'ultricus' v. 587 — praeter reliquos Troes imprimis Aeneae ipsi satisfiet: v. 586 'animum' sc. meum 'iuvabit'. — Sed vide, quomodo etiam Aeneae affectus propositionem v. 575 comitatus nunc similibus sed eo acrioribus et audacioribus verbis significetur: 'Ignes', qui exarserunt Aeneae 'animo' variantur in 'animum (ultricus) flammae'. Illa 'ira' autem redit v. 588 aucta in 'furiata mente'; cf. v. 594 sq.: 'iras' — 'furus'. Hoc ultimo versu, culmine totius loci,

---

κτενεῖς δάμαρτα σήν' et Or. 1151 ἔξομεν κλέος — praetermisit scilicet illam humilem laetitiam. — Euripidis v. 1139 κακῆς γυναικὸς οὖνεχ' αἷμ' ἐπράξαμεν respondet apud Vergilium v. 585 sq.: sumpsisse merentis poenas. — Quod poetae aptum visum est hoc audaci modo Euripidis verba vertere, minime licere nobis puto eum vituperare.

1) Scripsit poeta dubitationem illam, quae ob id exstat, ut refutetur, ne quis iam ullum opprobrium obicere posset. Recte admonuit Cerda, quae quaerit Aristoteles in Probl.: Διὰ τί δεινότερον γυναικῶν ἀποκτείνεω ἢ ἀνδρῶν;

primū comprehenditur sermo Aeneae<sup>1)</sup>, deinde iam primus fit gradus ad consilium perficiendum.

Vidimus Vergilium structuram totius loci insigni concinnationis atque gradationis arte elaborasse<sup>2)</sup>.

Verbum 'ferebar', ipsum culmen totius loci, sequitur a verbo 'cum' id, quod dicit Aristoteles: περιπέτεια, qua incipit tertium momentum, neque ex Aeneae animo neque omnino iam ex hominum ratione ortum, sed divinum. Interventit Venus, quae humilem hominum rationem reiciens quaestionem illam e deorum consulto solvet.

### 3. De Veneris interventu.

Inventionem Veneris intervenientis ut inhaerentem Helenae repertae inventioni Vergilius e poesi Graeca recepit<sup>3)</sup>.

Quod poeta Graecam illam fabulam mutaverat in Romanam Aenea pro Menelao posito, haec inventio quamvis licita quodammodo nova et audax fuit. Veneris intervenientis autem inventio ipsa obviam venit Vergilio acceptissima, quam proprie Romanam faceret, cum Venus etiam Aeneae mater haberetur, qua persona poeta etiam aliis Aeneidis locis utitur. Itaque ab hac quoque parte tota inventio apta fuit, quam in-

1) Cf. p. 52.

2) Structura rerum, quae continentur loco, exteriore versuum dispositione significatur, quae est hac concinnatione:

IV : IV : II : IV : II : II : III : I.

Tali versuum dispositione et concinnatione Vergilius per occasionem locis praecipue eminentibus et imprimis elaboratis uti videtur; ut aliud exemplar afferam: notus alter sermo interior, qui invenitur in Aeneide, Didonis, hac est dispositione versuum (IV 534—552):

III : III : III : I : III : I : III.

Observes, quomodo singulae loci partes Aeneae et Helenae attribuantur: IV versus Aeneae et Helenae, IV Helenae soli, II Aeneae, IV Helenae, II Aeneae, II Aeneae et Helenae, III Aeneae et Helenae, I Aeneae. — Bellingius ostendere conatus est versuum dispositionem etiam maiorem vim apud Vergilium habere et ad totos libros adhibendam esse. Cf. librum citatum a. 1899 et 'De Properti Vergilique libros componentium artificii', Festschrift für Joh. Vahlen, Berlin 1900. — Eam loci versuum dispositionem comprobare non possum, quam Bellingius l. c. p. 183 proposuit, cum v. 579 deleat versus 607 (et versus 606 secundae partis) delendi gratia.

3) Heinzius poetam Veneris interventum libere excogitasse putare coactus est. Sed quis hoc iam per se credat?



sereret sui carminis tenori. Apud Graecos poetas officium Veneris pro ipsius Menelai amore adhibitae hoc solum fuit, ut virum interfecturum retineret. Vergilius Menelao eiusque amore detractis Veneri e Graeca dea nunc Romanae factae etiam novum et gravius attribuit officium. Postquam Venus filium interfecturum retinuit — tutatur ita mater vel patrona ambarum alteram tutelam suam quamvis pessimam ab altera optima! — aperit ei superius deorum consilium: non Helenam sed deos ipsos auctores esse Iliupersis modo peractae — qua in sententia adhibenda Vergilius praeter Homerum et Aeschylum iterum Euripidem ante oculos habuit —; Aeneae autem fugiendum esse.

Sed videamus, quomodo poeta singula composuerit. — Venus Aeneae ad Vestae templum proruenti iam obviam venit dextramque eius sublatamprehendens eum continet<sup>1)</sup>; sed non statim cognovisse videtur, quae modo facta sint. Miratam se fingit, curnam tantopere insaniat filius<sup>2)</sup> — scilicet ut pudeat illum. Annectit Venus exprobrationem suam non rei ipsi, sed affectibus, qui eam comitantur, exteriore iam vultu Aeneae et gestu manifestis; qua re simul id assecutus est Vergilius, ut certa dicta ex illo loco redeant<sup>3)</sup>; cf. iras v. 594: ira v. 575 (quod idem fluxit ex 'iras' v. 572); cf. furis v. 595: furiata mente v. 588. Obicit Venus filio pro illo 'Tyndarida aspicio' v. 569 eadem versus parte 'non prius aspicies' sqq. v. 596; ironiae atque vividioris simulationis causa dicit 'aspicies', ubi exspectamus: 'cur non . . . aspexisti' propter v. 600; nam hominum iudicio Anchises, Creusa, Iulus iam pridem interfecti erant<sup>4)</sup>. — Quamvis

1) Verbo 'dextra' retinuit poeta colorem veteris fabulae Graecae, quod Menelaus iam gladium destrinxit. Sed cetera omnia, quae ad ipsum necandi consilium pertinent, vitavit non solum pro illa Veneris simulatione sed etiam tenere pro illius 'roseo . . . ore' v. 593. — Ut recte ille rerum nexus intellegi posset, Servius denuo affirmavit verbo 'constat': versus illos sublatos esse.

2) Itaque — credo — causa Aeneae irae consulto atque industria falso 'dolor' aliquis in universum dicitur, qui prius Aeneae proprius fuerat.

3) Quod Heinzius Thilonem secuto neglegendum est, ut idem e versu 316 afferat (p. 49) intervallo trecentorum fere versuum intermissaque quae inter tempora permultae variae res variis cum Aeneae affectibus gestae sint.

4) Qui rerum nexus saepe falso perceptus est.

iusta Veneris exprobratio per se sit, tamen apparet poetam consulto Aeneam salutis suorum oblitum fecisse, neque modo, sed iam v. 314.

Deinde tandem ostendit Venus filio non Helenam — quod iudicant homines — sed deos Troiam delesse. Nota haec est sententia Priami vel Homeri, quem secutus est Aeschylus<sup>1)</sup>. Sed etiam Euripides illa sententia suo more usus est, ut ipsam vel priores illos poetas irrideret, et hoc in Troadibus, ubi ipsam Helenae repertae fabulam — detracto Veneris interventu — tractavit. Habet ibi vv. 914sq. Helena apud Menelaum orationem defensoriam, qua demonstrat rhetorum et sophistarum modo non se ipsam sed praeter Paridem potius Venerem h. e. ipsos deos auctores esse criminis sui et totius calamitatis secutae<sup>2)</sup>. Quae oratio defensoria, ut est opposita quodammodo illi Pyladis orationi suasoriae, scilicet Vergilio ante oculos versata est.

Certo dicto Euripideo Helena v. 601 nominatur: 'Tyndaridis facies invisā Lacaenae'<sup>3)</sup>, quae verba proprie spectant ad loci antecedentis verba 'Tyndarida' v. 569, 'invisā' v. 574<sup>4)</sup>. Verbum 'tibi' v. 601 non attinet ad verbum 'invisā'<sup>5)</sup>, sed est dativus ethicus attinens ad verba finita: 'evertit' et 'sternit'<sup>6)</sup>. Nam non iam id agitur, quod Helena Aeneae invisā est, sed quod non Helena sed di ipsi Aeneae uni nunc relicto Troiae deletae auctores sunt, scilicet ut emigrare cogeretur. Paridem autem Vergilius hoc loco certam ob causam commemoravit<sup>7)</sup>. Opponantur superior deorum intelli-

1) Cf. p. 33.

2) Cf. notum hoc dictum Tro. v. 920 ἀπάλασε Τροίαν et v. 948 τὴν θεὸν κόλαζε καὶ Διὸς κρείσσων γενοῦ. vv. 964 sq. . . . εἰ δὲ τῶν θεῶν κρατεῖν βούλει, τὸ χρεῖζεν ἀμαθὲς ἐστὶ σοι τόδε; cf. Androm. 680; Hel. 1120 sq.

3) Cf. Tro. v. 34 ἡ Λάκαινα Τυνδαρίς; Hel. v. 72 sq. ἐχθίστην γυναικὸς εἰκὼ et similia.

4) Itaque Servius denuo necesse putavit hoc admonere: 'versus . . . esse sublatos, Veneris verba declarant'.

5) Quod ut appareret, poeta illud verbum intervallo secrevit a verbo 'invisā', cum aliter semper dativum iuxta ipsum verbum 'invisus' ponat.

6) Postulandum igitur est cum Weidnero (p. 414), ut post verbum 'Paris' non Ribbeckii semicolon sed levius comma ponatur.

7) Sed sane obiter tantum dicit 'culpatusve Paris' v. 602, germane: „noch auch (woran man doch denken müsste) Paris.“



gentia humili vel simplici hominum iudicio; et Paris iam iusto hominum iudicio<sup>1)</sup>, quod scilicet Aeneas furore captus illo tempore neglexerat<sup>2)</sup>, non minus auctor est Troiae deletae quam Helena. Accedere denique mihi videtur, quod etiam in illa Helenae oratione suasoria Paridi post Hecubam et Priamum proxima culpa tribuitur<sup>3)</sup>. — *Θεοφανία*, quae sequitur, ex Homeri pugna deorum a Vergilio recepta est: cf. Heinzii l. c. p. 50 sq.

Sequitur deinde culmen Veneris interventus. Fit conclusio universa, qua illa quaestio, quae II libri culmine continetur, solvitur: v. 619 'eripe, nate, fugam finemque impone labori'. Descendendum igitur est Aeneae (cf. v. 632) ad suos et cum illis Troia fugiendum, quod iam Hector Aeneam ante Iliupersin iusserat, quod nunc tandem et statim — cf. v. 636 — Aeneas facere et debet et potest — scilicet nisi nova et exteriora obstant impedimenta<sup>4)</sup>. — Culmen II libri ita igitur instructum est, ut actio suspensa sit a v. 559 usque ad v. 631, sed tribus gradibus explicetur ad novam propositionem, h. e. Aeneae fugam, quae sit consequens Iliupersi.

1) Quod invenitur expressum apud Quintum XIII 412 οὐ γάρ τοι Ἑλένη πέλει αἰτία, ὡς σύγ' ἔολπας ἀλλὰ Πάρις . . . ; cf. etiam Il. III 87, Aesch. Agam. 1157, Eur. Tro. 598, Hel. 1120 sq.

2) Recte admonet Weidnerus p. 414 Aeneam stare ab Antenore eiusque factione, qui pacem cupientes Paridem odiosum culpabent.

3) Heinzius p. 46 Helenam et Paridem aut nullam ob causam certam commemoratos putat, quod sane nimis mirum videatur; aut propter usum tragoediarum scriptorum, qui ultimas atque abditas mali causas investigare et proferre soleant, p. 49. Sed Helena et Paris, qui scilicet in Aeneae et Helenae congressu commemorandus non fuit, Aeneae notissimi et vividissimi cotidie fere ante oculos fuerant; praecipue Helena Deiphobi uxor facta propinqua erat Aeneae non solum consanguinitate sed etiam situ domuum, cf. v. 310 sq.

4) Restat hoc loco interrogare: ubi Helena remansit? Noackii sententia est post abitum Aeneae Menelaum cum suis ad templum venturum Helenamque reperturum esse. Puto ego nihil iam de Helena cogitandum esse. Vergilii proprium est hoc, ut afferam Heinzii verba e capitulo „Motivierung“: Eine gewisse Lässlichkeit zeigt Vergil zuweilen bei der Behandlung von Nebenpersonen: sie sind da, wenn er sie braucht, ohne dass ihre Anwesenheit erst motiviert würde.“ Eodem modo Helena superflua facta non iam commemoratur.



#### 4. Varia <sup>1)</sup>.

Iam restat ut agam de 'loco' et 'tempore' <sup>2)</sup>. — Citanda sunt Heinzii verba p. 343: „Der Ort als Lokal der Handlung spielt bei Vergil dieselbe geringe Rolle wie in der antiken erzählenden Poesie überhaupt“ <sup>3)</sup>. Quod postquam cognitum est, cadunt Ribbeckii, Thilonis, Leonis vituperationes <sup>4)</sup>. Iam priores defensores admonuerunt haud ita simplicem aut perspicuam esse exteriorem rerum condicionem. Quod Vergilius Homerum imitatus Aeneam Iliupersin, cui ipse interfuit vel interest, narrantem fecit, 'sibi ipse circumdedit cancellos, extra quos egredi non liceret . . . verum etiam difficultatibus se implicavit haud ita parvis' <sup>5)</sup>. Ut Priami caedes quasi visa ab ipso Aenea narrari posset, ea inventione usus est poeta, ut Aeneas in tectum domus evaderet, unde in peristylum despiceret, cf. v. 512. Tamen persuadere nobis non possumus Aeneam e tecto singula omnia videre aut audire potuisse, quae diversis in domus partibus fierent aut dicerentur. Simillime, quamvis ingeniose ille deorum visus, qui sequitur locum, inventus sit, minime perspicua nobis est exterior eius condicio <sup>6)</sup>. Quod videmus poetam gravibus in rebus parvas neglexisse, vituperandum non sit, si eadem proprietas in Aeneae et Helenae congressu

1) Liceat hoc loco breviter anticipare rem, quae proprie posterioris opusculi partis est. Negandum est, quod dixit Nordenius p. 443, 447 et recepit Heinzius II ed. a. 1908 p. 46, 3, graves synaloephas nonnullas interpolatoris, non Vergilii esse. Aut neglexit aut noluit poeta illas vitare. Utrumque est Vergilii proprium. Nam per se mirum non sit, quod fortasse Vergilius illo tempore synaloephas commiserit et reliquerit loco, qui ei postea corrigendus aut delendus fuit. Plures commisit res poeta, quae dicendae sunt cum Nordenio (p. 275) „für Vergils Praxis unerhört und ganz singular“ et imperfecto Aeneidis statui imputandae. Sed gravi quadam vi sunt synaloephae gravissimo loco, ubi verba gravissima ratione ratissima cadunt ut oraculi, cf. impr. II 573, praesertim cum contineatur iis imitatio exemplaris Graeci illustrissimi.

2) Cf. Heinzii illud capitulum p. 334 sqq.

3) Ut exemplum afferam: Aeneas II 303 sqq. in tectum suum evadit; v. 314 iam arma capit; quod antea descendit, non iam commemoratur.

4) Impr. cf. Leo p. 39 sq., 3: „Dass die Situation, die im übrigen einfach und anschaulich ist, durch die Eindichtung unmöglich wird . . .“ sqq.

5) Wiechmann p. 15.

6) Cf. Heinzii p. 41, 51.

quoque inveniatur. Demonstrari utique potest hunc locum aptissime quadrare ad antecedentem et sequentem.

Putaverunt multi defensores Aeneam iam post v. 566 descendisse e tecto, ubi suorum recordatus erat, aut, quod verbo 'erranti' v. 570 indicaretur, nunc quidem descendere, ut ad Vestae templum perveniret; quae opiniones iam per se ratione carentes propter neglectum verbum 'descendo' v. 632 vitio illis defensoribus versae sunt<sup>1)</sup>. — Apertum est rem pendere e Vestae templi situ neque longe illud afuisse a Priami domo. Tota autem urbs eo est situ, ut pars domuum, maxime principum, arcis montem ascendat<sup>2)</sup>, ita ut Aeneas e tecto suo per terram usque ad Sigea freta prospicere posset, cf. v. 304, 312; ascendit ille ad Priami domum, quae nondum summa in arce putanda est, cf. vv. 225 sq., 615<sup>3)</sup>. Vestae igitur templum non ante oculos habendum est aequa montis altitudine qua Priami sedes<sup>4)</sup>, sed paulo altiore situ, fortasse in promuntorio parvo<sup>5)</sup>, ita ut solum templi tectum fere Priami domus adaequaret, quae ipsa a tergo in montem inclinaret atque inniteretur: tecta autem illa aetate ad commorandum usui erant, cf. vv. 453 sqq. Verbo 'erranti' v. 570 significatur Aeneam a peristyli tecto prorsum viam petere directo trans cetera tecta ad templum. Ante templum fit totus Veneris interventus; quadrat igitur verbum 'descendo' v. 632 ad totius loci exteriorum condicionem, e quo tempore Aeneas in tectum evasit.

Etiam de 'tempore' vel luce satis vilia viri critici obiecerunt. Similiter res se habet ac supra: Vergilii omnia pro-

---

1) Gebhardius profecto putavit: „Aeneas. konnte von den hohen Zinnen des Palastes aus durch die obere Oeffnung der Cella in Innere ... hineinschauen.“ — Neglegenter tantum dicit Servius Helenam in domo Priami fuisse (ad II 592). Fortasse hanc ob causa censuit Henry (a. 1878 vol. II p. 279 sq.) 'limina Vestae' ipsam esse aram in ipsa Priami domo sitam. Sed apud Vergilium verbum 'limina' iuxta deae vel dei nomen semper significat: 'templum', et templum proprium Vergilius e fabula antiqua recipere debuit.

2) Cf. Noack p. 427.

3) Cf. Il. Z 297.

4) In tabula Iliaca artifex templo hunc situm attribuit scilicet spatii causa.

5) Cf. p. 51, 3: l. c. p. 508.



pria! Primus verum cognovit Weidnerus p. 334 sqq.<sup>1)</sup>. — Tria poetae praesto sunt. Est nox, sed etiam luna plena<sup>2)</sup>; accedit, quod iam exaestuant flammae domuum ardentium; quibus tribus instrumentis, ut quidque aptum est occasione, singulis locis poeta utitur. — Cur autem Helena ab Aenea in ipso templo aspici possit, iam Servius explicavit, qui dicit ad l. IX v. 408 'tholo': 'alii tholum aedium sacrarum dicunt genus fabricae, ut Vestae et Panthei est. alii tholum tectum sine parietibus columnis subnixum, aedes autem rotundas tribus diis dicunt fieri debere Vestae, Dianae, vel Herculi vel Mercurio'; quae tria omnia huc adhibenda sunt<sup>3)</sup>. Fortasse etiam incendia illa, quae poeta v. 569 cum diligentia quadam addidit, templum illustrant. Quod v. 590 et v. 621 iterum nox est, id Vergilius instituit, ut divinae Veneris et deorum visus lucas eo clariores fierent.

Deinde hoc loco fusius defendatur Aeneae sermo interior. — Heinzius propter verba 'taliam iactabam' v. 588 persuasum est Aeneae illum sermonem verum et proprium esse, quo acre duarum voluntatum diversarum certamen contineatur atque finiatur<sup>4)</sup>. Iam prius ostendimus illam Aeneae dubitationem nullius proprii momenti esse<sup>5)</sup> et potius ob id ipsum exstare, ut reiecta ea eo certius Aeneae consilium fiat. Aeneae autem a principio unum est officium et una voluntas: tantum causae iterum, et poetica ratione, afferuntur. Longe diversi generis alter ille Didonis sermo interior est, quod iam forma significatur. Nam ibi exstant certae singulae dubitationes, quae propriis interrogationibus significantur. Proprium sane

1) Weidnerum secutus est Kvičala p. 22 sqq; ceteroquin cf. Heinzius p. 24 sq.

2) Cf. Tzetz. ad Lycophr. Alex. 344; Schol. Eur. Hec. 910: *νύξ μὲν ἐὴν μέσση | λαμπρὴ δ' ἐπετέλλε σελήνη.*

3) Vitruvius IV 7 duo talium templorum novit genera, quae dicuntur: monopteros et peripteros. Nummus exstat, cui impressum est tale Vestae templum; huius et aliorum Vestae templorum imagines invenias apud Guhl-Koner-Engelmann, Das Leben der Griechen und Römer, VI. ed. p. 508. — Peerlkampius scilicet censuit hoc: 'Templum, credo, Vestae ipsum ardere debuit, ut aliquis in interiore angulo ... conspici posset'.

4) Cf. Heinzius p. 46, 3 et p. 419 sq.

5) Quod iam apparet e verbo 'etsi' quo incipitur.



est Vergilii, quod in sermonibus interioribus elaborandis frequenti validarum interrogationum ratione utitur, quam a poesi scenica et arte rhetorica mutuatus est. Sed interrogationes Aeneae alterius speciei sunt, quibus efficitur tantum *ἐνθύμημα* rhetoricum<sup>1)</sup>. Aeneae colloquio interiore id potius spectavit Vergilius — ut citem Heinzii verba p. 420 —: „dem Leser die Empfindungen einer Person in einer bestimmten Situation . . . zu schildern“. Est igitur quaedam ipsius Aeneae mentis explicatio. Idem sermo est: „Träger des höchsten Affekts“. Dolor et horror Aeneae Helena aspecta mutati erant in iram atque furorem. Accedit, quod Aeneas ipse rem narrat. Cum autem nemo fusius summum ipsius affectum 'narrare' possit, frangitur omnino narrationis forma, impedimentum tantum poetae ingenio; exoritur necessario summa cum vi scenica Aeneae sermo interior. Iisdem de causis fieri non potuit<sup>2)</sup>, ut hoc colloquium interius certis verbis antea significaretur, quod aliis locis Vergilius facere solet<sup>3)</sup>; potius sermone finito poeta illud postposuit, cum Aeneam dicentem facit: 'talìa iactabam' v. 588<sup>4)</sup>.

Talis sermo interior poesis scenicae admodum proprius est, quam Vergilium secutum esse inter omnes notum est. Itaque non licet Homerum afferre, apud quem Ulixem narrantem nullum sermonem interiorem habere<sup>5)</sup>. Nam Ulixidis apologi plane epici sunt generis atque omnino carent affectu scenico. Ex eo autem, quod Heinzius nominat „technisches Argument“<sup>6)</sup> responsum nostrum quasi elucet: ergo Aeneae sermo hoc unico II libri loco unica est vi atque pretio. Ut sermo interior haberi possit, personam solam in scena versari necesse est. Vidimus autem structuram II libri eam esse, ut in culmine Aeneas solus remaneat. Quam ob rem consulto Helena a poeta v. 568 'tacita' inducitur certo verbo.

1) Quod nullo modo negari potest.

2) Quod neglexit Leo l. c. a. 1908 p. 5 adn. 1.

3) Ut exempla afferam: cf. I 94 talia voce refert.; IV 533.

4) Cf. I 50, I 94, IV 553; I 102: 'Talia iactanti . . .'

5) Heinzius p. 46.

6) p. 46: „die Worte scilicet sqq. wären das einzige Selbstgespräch, das in den Apologen des 2. und 3. Buches von Aeneas berichtet (!) würde“; quod dicitur „Ergebnis feiner Beobachtung“ ab Heinzii censore quodam, cf. Blätter für bayrisches Gymnasialwesen XL p. 246.

Ipsum Aeneae colloquium interius exemplum praebet Vergilii artis rhetoricae<sup>1)</sup>. Exemplar principale, quod poeta secutus est, Euripidem dico, ratione rhetorica impletum fuit. Vergilius autem usus est illa arte etiam hoc loco — ut Helmii<sup>2)</sup> viri docti verbis utar — „ohne dass es irgendwie als gemacht oder gesucht dem Leser zum Bewusstsein käme“.

Ut appareat, quam vim atque effectum locus totus habuerit in hominum mentes nulla suspicione critica prius captas, cum antiquitatis testimonia non exstent, attamen afferam nonnulla iudicia, quae viri docti de loco tulerunt.

De la Cerda a. 1612: '... hos luculentissimos operosissimosque versus'.

Heynius a. 1830 admiratur: '... eorum (sc. versuum) indolem et numerosam venustatem...'

Thielius a. 1834 citat iudicium viri docti cuiusdam, quem sequitur: „... sie sind ganz im Geiste des Vergil geschrieben und mit der ihm gewöhnlichen Schönheit und Feinheit“.

Forbigerus a. 1873: 'Vergilii autem esse, non solum elegantia eorum et oratio prorsus Vergiliana, sed iam conexus loci declarat'.

Hanselius a. 1867: „... so viele schöne Verse“.

Henry a. 1878: '... the authenticity of this fine passage concerning Helen'.

Fr. A. Hirtzelius a. 1900: 'versus valde Vergilianos'.

Si contigit nobis rem, quae illo loco contineatur, intellegere, idem hoc est atque Vergilio locum vindicasse.

### CAPVT III.

#### 1. De repugnantia.

Accedimus, ut ita dicam, ad cardinem totius quaestionis. Primum fit, ut inveniamus certam difficultatem re vera illo loco effectam. Itaque haec difficultas plane diversi

1) Cf. in universum Heinzii p. 422 et Norden, Die antike Kunstprosa II p. 891.

2) Qui recensuit Heinzii librum „Berliner philologische Wochenschrift“ 1903 vol. XXIII p. 492.



est generis atque res, quas adhuc tractavimus, quibus plerumque aequata vel confusa est. — Gravissimum est totius repugnantiae ambitum cognoscere. Helena illo II libri loco primo et solo totius Aeneidis inducitur. Exanimata timore non tam Troum quam Graecorum victorum et imprimis Menelai ad Vestae templum fugit, ubi sacram se fore speraverat. Aeneas scilicet recte opinatur illam feminam quamvis nefariam ultimo tempore veniam a Menelao impetraturam esse.

Libri VI vv. 510 sqq. summa cum admiratione legimus Helenam ipsam Graecos suos ingenti face advocasse ipsumque Menelaum coniugem in Deiphobi thalamum duxisse, ut illum interficeret, cf. vv. 526 sq.:

scilicet id magnum sperans fore munus amanti  
et famam extinguere veterum sic posse malorum’.

Nullo igitur modo fieri potuit, ut haec Helena Graecos et Menelaum fugeret. Repugnantia luce clarior est <sup>1)</sup> atque acerrima omnium, quae in Aeneide inveniuntur. Nova haec est causa Heinzii, cur II libri locum spurium habeat. Sed repugnantiae ambitum accuratius inquiremus.

Sexto in libro Graecis ab Helena face signum datur, ut proficiscantur. Secundo in libro inversa ratione Graeci ipsi simile signum dant Sinoni, ut equum aperiat <sup>2)</sup>. Quae ambo inter se non quadrare nemo negabit. Neque obscurari potest difficultas Heinzii refugio <sup>3)</sup>: Vergilio hunc locum scribenti iam illum VI libri locum ante oculos versatum esse; nam minime ita explicatur cur illi duo loci hac sint diversitate aut cur — quod maxime interest — Helena non iam illo II libri loco nominetur. Quae difficultas necessario tollitur Aeneae et Helenae congressus ratione habita. Nam quod ibi Helena etiam Graecis odiosa est, idcirco Vergilius iam priore illo loco ea uti non potuit, quae Graecis signum daret. Potius putare nos vult poeta: Helenam nulla mora interposita e domo

<sup>1)</sup> Cf. Heinzii verba: „Der Widerspruch ferner mit der Darstellung des sechsten Buches liegt auf der Hand.“

<sup>2)</sup> II, 256 sqq. Hanc esse vim illius signi post Heynium recte intellectum est; cf. Heinzii p. 23, 2.

<sup>3)</sup> Quod ne per se quidem est credibile, nam diversissimi sunt liber II et VI quod ad tempus, propositionem, fontes spectat.



sua, quae v. 310 industrie commemoratur<sup>1)</sup>, ad templum fugere, cum iam certe sciat<sup>2)</sup> Menelaum se primam omnium petiturum esse. Vergilio igitur Iliupersin scribenti a principio una et certa persona, quam Helenae tribueret, ante oculos versata est, quam breviter nominemus Helenam fugitivam.

Helena VI libri contra multo alia est: Troibus odiosa, Graecis autem amica atque coniurata, quam breviter nominemus dicto: 'Helena flammifera'. — Invenitur haec Helena flammifera etiam apud Tryphiodorum in Hal. II. v. 495.sq.; 512 sq. (ed. Wernicke):

παννυχίη δ' ἑτάροισιν ὑπὲρ θαλάμοιο καὶ αὐτῇ  
εὐειδῆς Ἑλένη χροσέην ἐπεδείκνυτο πεύκην,

quem non Vergilium sed proprios fontes secutum esse constat. Etiam alia testimonia allata sunt, quibus demonstratur Helenam flammiferam iam in Graeca fabula locum habuisse<sup>3)</sup>.

Apertum igitur est Vergilium varias duas Graecae de Helena fabulae species secutum esse. Quod per se fieri potuisse non miramur, cum notum sit fabulas a Graecorum poetis saepe variatas esse<sup>4)</sup> et ingentem fontium copiam e poesi epica, lyrica, scenica Vergilio praesto fuisse<sup>5)</sup>. Sed quae-

1) 'Iam Deiphobi dedit ampla ruinam | Volcano ecsuperante domus'; cf. p. 32, 1; vv. 264 sq.

2) Gravem verbi 'praemetuens' v. 573 vim primus cognovit Henry Advers. Virg. p. 620, Aeneidea vol. II p. 282.

3) Adhibuit Schneidewinus Hippolyti et Epiphani locos in dissertatione, quam in lucem protulit Knaackius in Mus. Rhen. vol. XLVIII p. 682 sqq. — Etiam in pictura Pompeiana Helena flammifera exstare videtur, cf. Urlichs, Das hölzerne Pferd, 14; Progr. des v. Wagnerschen Kunstinstituts in Würzburg, p. 11; dubito an recte putet Noackius picturam a Vergilio pendere. Potius fortasse Vergilium secutus est Hyginus in fab. 249: faces sceleratae: 'Helenae, quam de muris ostendit et Troiam prodidit'. — In infima Tabulae Iliacae parte fictum esse hominem flammiferum, fortasse Helenam, quod Iahnus p. 31 vix opinari ausus est, reiciendum mihi videtur.

4) Ut proximum afferam exemplum: apud Arctinum Sinon Graecis signum dat; quem posteriorum poetarum plerique secuti sunt. Apud alios Antenor hoc fungitur officio; cf. Tzetz. schol. ad Lycophr. Alex. v. 340. — Verisimile est, quod apud Vergilium in II libro signum a navibus tantum datur, etiam hanc simplicem fabulae formam apud Graecos poetas exstitisse.

5) Licet Vergilius libro mythographico usus sit, tamen plerumque ad ipsas fabularum origines rediit.

rendum est qua de causa poeta in diversis illis libris proprie has diversas fabulae formas adhibuerit<sup>1)</sup>. — Helena Graecis odiosa et reperta, quae apud Arctinum primum exstitit, paulo posteriore aetate amplificata est in Helenam fugitivam<sup>2)</sup>; quam Helenae fabulae speciem ut notissimam<sup>3)</sup> recipere debuit Vergilius in Iliupersin suam. Iam vidimus hanc Helenam fugitivam firme insertam esse illi Iliupersi Vergilianae.

Helena Graecis amica et coniurata originem trahit ex Homeri carminibus, ubi iuvat Ulixem Palladium rapientem et desiderat coniugem antiquum. Odiosa iam omnibus Troibus est<sup>4)</sup>, a quibus causa totius belli habetur. Haec Helena Homericam recentiore aetate in Helenam flammiferam amplificari potuit, quae sane minus nota fuisse videtur<sup>5)</sup>.

Principalem VI libri inventionem, quod Aeneas ad inferos descendit, mutuatus est Vergilius ab Homero; neque minus Aeneae et Deiphobi congressum, quo imitatus est congressum Ulixis et Agamemnonis. Ut Agamemno ab Aegistho amanti necatum se esse narrat: Clytaemestra uxore adiuvante cf. Od. XI 387—464, ita apud Vergilium Deiphobus ab Menelao 'amanti' (cf. VI 526) necatum se esse dicit: Helena uxore adiuvante<sup>6)</sup>. Quo in conexu novo necesse fuit Helenam

1) Quae quaestio patet e Kvičalae aetate, cf. p. 18.

2) Cf. p. 26.

3) Minus dicam eam „vulgär“ ut Nordenius p. 255.

4) Cf. δ 250 sqq.; Γ 139 sq.; δ 259 sqq.; Ω 767 sqq., impr. v. 774 sq.: οὐ γὰρ τίς μοι ἐτ' ἄλλος ἐνὶ Τροίῃ εὐφείη | ἦπιος οὐδὲ φίλος, πάντες δέ με περιφύσσουσιν, Priamo excepto Γ 164.

5) Euripides hanc Helenam, quae prodit Graecis Troiam, nondum novisse videtur; nam certe eam commemoravisset is, qui omnia crimina in eam cumulare studet. — Quod putat Immischius in Mus. Rhen. vol. LII p. 128 Helenam taediferam fortasse iam apud Stesichorum exstitisse, minime verisimile mihi hoc videtur.

6) Sane nondum constat, utrum poeta primus excogitaverit Helenam coniugis interfectorem vel ἀνδροκτόνον an e poesi Graeca receperit. Euripidi certe acceptissimum illud fuerit crimen. Exstat autem certus locus, e quo apparet illam Helenam ei notam non fuisse. In Oreste increpat Tyndareus filias suas vv. 518 sqq.:

ἐγὼ δὲ μισῶ μὲν γυναῖκας ἀνοσίτους,  
 πρόστην δὲ θυγατέρ', ἣ πόσιν κατέκτανεν (h. e. Clytaemestram)  
 Ἑλένην τε τὴν σὴν ἄλοχον οὐποτ' αἰνέσω  
 οὐδ' ἂν προσείποιμι . . . ; adde El. 1065 sq. Putem — ni demon-



aliter atque in II libro potius amicam et coniuratam fingi Graecis, eo odiosorem sane Troibus; quod poeta optime assecutus est eo modo, ut e copia variarum de Helena fabularum Helenam flammiferam eligeret et adhiberet. Assecutus est nova illa ratione poeta primum id, ut Deiphobi interfectio, quae in II libri Iliupersi omittenda ei fuerat, hoc in rerum conexu narrari posset; deinde autem accepta fuisse videtur poetae occasio poetici illius Helenae odii et culpae augendorum, cum horribile eius crimen proferret. — Vidimus utique etiam Helenam flammiferam constare in libri VI conditione. Simillimi igitur sunt contrarii duo loci, quorum uterque ortus est suo proprio utriusque libri conexu, praeclara imitandi ratione, qua usus est Vergilius, ita ut exemplaria praebeant illius poetae artis. Diversi autem sunt ambo loci origine fabularum vel fontibus. Orta sunt II libri Iliupersis et Helena fabula posthomerica, orta est inventio VI libri eiusque Helena imitatione Homeri. — Sed illo VI libri loco non tantum repugnantia continetur, cum II libri locum conferas, sed etiam alia plane nova narrantur de Deiphobi sorte, cf. vv. 502 sqq., quae huic rerum conexui apta sunt, in II libri Iliupersi autem nullum haberent locum. Illud 'mihi fama tulit' v. 502 vero ambages quaedam postuma esse videtur temporis causa facta, ne nimis hic locus careat nexu, quo cum priore Iliupersi in universum coniungatur. Simul denique nulla est dubitatio, quin Vergilius a principio universae repugnantiae optime conscius sibi fuerit. Tamen eam illo tempore veritus non est; potius ipse, ut ita dicam, ostendit eam exteriore verborum usu<sup>1)</sup>. In ipsis studiis

---

strari poterit iam Graecum poetam hoc fecisse — Vergilium primum ἐκ παραλλήλου Clytaemestrae etiam Helenam ἀνδροκτόνον excogitasse simul cum Agamemnonis et Ulixis congressus imitatione. Seneca illam Helenam non ab Euripide sed a Vergilio novit, cuius VI libri locus ante oculos ei versatus videtur, cum dicit in 'Agamemnone': Clytaemestram Aegisthum adiuvantem tanto scelere respondere Helenae sorori; cf. v. 962 sqq. et Aen. l. VI vv. 494 sq., 511; similibus utitur Seneca verbis atque Vergilius.

1) Similibus verbis usus est recentiore in loco elaborando atque in antiquiore II libri loco; quae poetae praecipue in eadem Helena odiosa tractanda undique affuebant. (Afferrantur quoque, quae minoris videntur momenti): II 567 iamque adeo, cum: VI 498 vix adeo, et. — Aeneae,



dedidit se 'conceptionibus' suis ingeniosis, repugnantias similesque difficultates curis relinquens posterioribus<sup>1)</sup>. Repugnantia usui nobis est ad imperfectum Aeneidis habitum melius intellegendum; quo adhibito, quatenus fieri omnino potest, solvenda erit ultima haec quaestio, quomodo versus XXII a poeta ad nos pervenerint.

Sed hoc unum et defensoribus et adversariis ante oculos habendum est: postquam in prioribus duabus quaestionis partibus certa argumenta postulanda fuerunt, in tertia parte sequenti non licet illa poscere. Id tantum officium est defensoris conari antiquis testimoniis ceterisque signis critico modo adhibitis consequenti atque provida ratione investigare, qua obscura via versus Vergiliani servari potuerint.

## 2. De loci memoriae forma.

Desunt versus antiquis et optimis codicibus *MPγabc m π<sup>2)</sup>*. Servius autem in praefatione, ubi tradit versus, diserte

cuius officium II 576 (585 sq.) fuerat de Helena 'sceleratas sumere poenas', VI 501 poeta tribuit hanc interrogationem: 'quis tam crudelis optavit sumere poenas?' ubi scil. de Helena cogitandum est; Deiphobus ipse de Helena quoque 'poenas' reposcit VI 530. Verbis, quae v. 511 respondet Deiphobus 'scelus exitiale Lacaenae', variatio continetur dictorum 'erinya' II 573, 'sceleratas' 576, 'nefas' 585, 'facies invisae Lacaenae' 601. Versus 513 sqq. spectant ad II libri Iliupersin, proprie v. 513 sq. ad v. 248 sq., 515 sq. ad 234 sq. — Ut II 580 Iliadum turba Phrygiaeque ministras comitantur Helenam, ita VI 518 ipsa haec 'ducebat Phrygias'. — V. VI 520 respondet v. II 265. — V. 523 'egregia coniunx' dicitur, quae novam conjugem necari facit, ut eo celerius compos fiat pristini coniugii, quod Aeneas II 579 eam visurum iam providerat. — V. 526 scilicet: 577 scilicet; v. 527 poeta dicit malorum famam factorum extinguere voluisse Helenam, quae propter illa facta Aeneae priore loco ipsa 'extinguenda' fuerat v. 585.

1) Ut exemplum afferam: I 560 Aeneas 'ornatus Argivae Helenae' et alia munera ferri iubet 'Iliacis erepta ruinis'; vix huc quadrare videtur, quod II 310 sq. Helenae domus, ubi scilicet servantur illi ornatus, inter primas ardens corruerat et II 763 sq. 'Troia gaza' a Graecis undique congeritur.

2) Quod versus in recentioribus et deterioribus quibusdam codicibus inveniuntur, ut in Dorvilliano, duobus Gothanis, aliis, nihil hoc valet, nam 'nemo non intellet ex ipso Servi commentario eos a librariis huc insertos esse': Ribbeckius. — Quod tacent alii grammatici, concludendum est versus iis notos non fuisse, non iam, quod dicit Leo, grammaticos eos non agnoscere.

dicit constare eos ab editoribus Aeneidis detractos<sup>1)</sup> esse; similia eius exstant verba in commentario ad II 566, II 592, II 601. — Admirati interrogamus, qua de causa aut quo iure editores illi delevisse aliquid dicantur. Causae vero, quas non accepit traditas sed ipse<sup>2)</sup> obiter addidit Servius, non persuasioni sed eo maiori dubitationi nobis sunt. Nam quod turpe dicit viro forti contra feminam irasci, rectissime iam Ribbeckius et alii intellexerunt futile hoc esse pro illis viris eruditissimis. Neque repugnantia primum quidem per se quidquam valere potest, cum etiam plures in Aeneide inveniuntur. Praetermittamus igitur hoc tempore illas detractiois 'causas', ut rem ipsam inquiramus. Qua est auctoritate fundamentum testimonii, quod affert Servius?

Idem Servius in praefatione<sup>3)</sup> refert: 'Augustus vero, ne tantum opus periret, Tuccam et Varium hac lege iussit emendare, ut superflua demerent, nihil adderent tamen'. Quae verba corrupta esse intelleges, si conferes, quae dicit Suetonius in Donati vita Vergilii p. 64<sup>4)</sup>: 'ceterum eidem Vario ac simul Tuccae scripta sua sub ea condicione legavit, ne quid ederent, quod non a se editum esset; edidit autem auctore Augusto Varius<sup>5)</sup> sed summatim emendata'. Sed quid sibi volunt verba 'summatim emendata'? Nullo modo sufficere nobis possunt ea, quae non vertit sed interpretatur Leo p. 38: „er gab das Manuscript heraus wie es hinterlassen war und sorgte für die Correkteit der Ausgabe“. Nam iam concedendum est non solum verbum 'edidit' sed etiam alterum illud 'emendata' pertinere ad Aeneidos quoque textum, qualis hic exstaret in Vergilii chirographis. Sed qualis fuit illorum habitus?

Putaverunt viri docti prioris aetatis Aeneidem perfectam tantum esse quod dicebant „im Rohbau“<sup>6)</sup>. Recentiores cognoverunt, ut citem Conradsii verba p. 18: 'Itaque ut Aeneidem,

---

1) Omittendum est, quod alii codices deteriores idem referunt verbis interdum corruptis; cf. Kvičala p. 35.

2) Cf. p. 14, ubi contra Ribbeckium hoc iam anticipari necesse fuit.

3) Thilonis editionis vol. I p. 2.

4) Reifferscheidii editionis p. 64.

5) De Vario solo editore cf. Norden, Herm. vol. XXVIII p. 501.

6) Cf. quae dicit Gruppius p. 178 a. 1859: „Das Gedicht, ... ein Torso, an vielen Stellen nur skizzenhaft und voll Lücken.“



si totum carmen spectetur, imperfectam a poeta relictam necdum in unum corpus redactam . . . vidimus, sic singulos libros iam patet singula quasi corpora esse suo quodque nomine, ceterorum ratione non habita, confecta quod ad res et materiam attinet<sup>1)</sup>. Quod non miramur, si addimus, quae tradit Suetonius p. 59: Aeneida prosa prius oratione formatam digestamque in XII libros particulatim componere instituit prout liberet quidque et nihil<sup>1)</sup> in ordinem arripiens: ingeniosa scilicet ratio haec. Sed patet nimirum tali modo ortas esse repugnantias et locos inaequales, cum poeta, quae multo post scripturus esset aut multo ante scripsisset, non ita iam praevideret vel respuerit, proprio quoque atque proximo conexu captus. Neque ita veritus est Vergilius tales difficultates; quas ad tollendas posteriorum annorum curis opus erat. Undecim annos Vergilius in elaborando opere consumsit. Quam ob rem putandum est significationes atque adnotationes haud paucas spectantes ad priores et posteriores carminis partes et locos retractandos ortas esse in poetae chirographis, quae illi summi in curas posteriores momenti essent. Lacunas in ipso singulorum librorum tenore exstitisse credi non potest, minime in libris II, IV, VI, si verum est hos primos scriptos et Augusto desideranti recitatos esse<sup>2)</sup>. In ipso tollendo illas difficultates mortuus est Vergilius. Quid tum editori faciendum fuit?

Repugnantiae non paucae adhuc exstantes et plures etiam loci nondum exaequati, quos Varius corrigere noluit, denique versus imperfecti testimonio sunt editorem in Vergilii opus summa pietate et temperantia usum esse<sup>3)</sup>. Sed inde non concludendum est Varium omnino nihil fecisse, nisi quod faciant nostra aetate librarii, qui scriptum imprimendum curent. Potius censeo, permultis manuscriptorum singulis partibus, quae diversae erant aetatis, Varium tam diu studendum fuisse adnotationum atque significationum poetae ratione habita, dum cognovisset

1) Ne verbum premas.

2) Suet. Don. vita p. 62 Reiff. ed.

3) Varius familiarissimus fuit Vergilio (cf. Suet. p. 53 R.) et similiter ingenio et iudicio. Neque inconsulte Vergilius poetis heredibus per testamentum unicum suum opus reliquit. Augustus autem, qui ipse fuit 'auctor' maiorem amborum elegisse videtur, qui faceret editionem unicam quandam et publicam.



quae vere fuissent ultimae intentiones eius Vergilii, qui modo ex ipso opere non sine causa desperans abreptus esset<sup>1)</sup>. Quatenus continuanda fuerit Vario Vergilii opera non iam cognosci potest. Tuendus utique ei fuit poeta ab obtrectatoribus et interpolatoribus. Quae Servius aliis commentarii locis adnotavit de Varii opera<sup>2)</sup>, perpauca esse puto de multis rebus, quibus ille optime meritus est de mortuo, quae sane iam nemini notae factae sunt.

Si nunc iterum deliberamus quae refert Servius, versus a Vario (et Tuca) detractos esse, concludendum mihi videtur principale hoc Servii de Varii opera testimonium minime esse vanam fabulam, sed verissimum et gravissimum testimonium, quo demonstretur, quae fuerit condicio inter Varium et Vergilium vel imperfectam eius Aeneidem edendam. Nam percipiendum illud est ea sola et certissima condicione, ut editor versus detraxerit, quod cognoverit, opinor e Vergilii adnotatione aliqua, poetam duorum locorum repugnantium priorem II libri edi noluisse. Verba 'detractos' et 'sublatos' scilicet corrupta vel neglegenter dicta sunt, quibus significetur Varium versus non recepisse in editionem suam publicam. Quamvis gravis orta sit lacuna in II libri structura, cavit Varius ne sarcire quidquam conaretur.

Causarum 'detractionis', quas addidit Servius, sane altera, quae est de repugnantia, nemini latere potuit. In altera causa afferenda Servius fortasse sequi sibi videbatur ipsum Vergilium, cum illam vv. 583 sq. dubitationem ex ipso rerum conexu ereptam falso perciperet, veri antiquitatis iudicii iam expers, ieiuno quodam ipse ingenio.

Quod Vergilius Varium, ut ita dicam, versus edere vetuit, tamen eos noluit interire, conscius ipse praeter omnes loci pulcritudinis atque formositatis. Servavit locum Varius ut fidus heres; sed mirum non est, quod latere non potuit. Notus fuit primum Vergilii amicis ita ut aliae Aeneidis partes ex recitationibus. Post Varii editionem publicam studiose recepti sunt versus

---

1) Quo in studio editorem saepe graves in difficultates et dubitationes incidisse necesse fuit eis locis, in quibus poetae consilium mutandi aut supplendi tantum significatum, non perfectum esset; cf. Serv. ad V 626 = p. 14, 1.

2) Cf. ad IV 436 (V 626), V 871, VII 464.

ab aliis editoribus<sup>1)</sup>, certe etiam a privatis, quod putat Sabbadinius. Codicum memoria profecta est a clara Valerii Probi editione, qui principalis Varii editionis auctoritatem sequi debuit, non reliquas deteriores. Quae paulatim perierunt; sed servati sunt nonnullorum hominum eruditorum studiis duo loci, quibus, fortasse praeter alios, praecipue insignes erant illae editiones: versus XXII et Aeneidis prooemium IV versuum, quos Servius in eadem praefatione sua tradidit. Suam igitur illi habuerunt memoriae formam et ne Servii quidem aetate compotes fuerunt principalis memoriae viae<sup>2)</sup>, ita ut communi atque constanti modo desint codicibus. Quam ob rem Servio non licuit in commentario eos explicare; sed in praefatione insignem iis concessit locum<sup>3)</sup>. Noti fuisse videntur versus Senecae, Tacito, Firmico Materno.

Restat igitur hoc loco, ut Servio grammatico industrio, ab

1) Fortasse Vario ipso quoque auctore, qui locum etiam obtrectatoribus et interpolatoribus notum fieri voluit.

2) Illustratur igitur hoc exemplo, quam pura Aeneidis memoria a Varii editione ad nos codicibus pervenerit. — Quod tamen illi IV versus post Servii aetatem iam in codicem Palatinum invaserunt, mirum non sit; nam non ita sunt pars Aeneidis, sed absolutiorem habent vim, ita ut etiam Aelius Donatus eos receperit in Vergilii vitam suam fretus fortasse Suetonio. Neque Nisi grammatici auctoritas, quod ille notus nobis non est, tam vana putanda sit; cf. Suet. p. 64 R.

3) Dubitationem, quam protulerunt nonnulli viri docti contra illos IV versus propter memoriae formam, nihil iam per se valere potest; quod ad rem et verba attinet, quae illis continentur, nihil est, quod eos Vergilio abrogemus. Defensi sunt, ut alios omittam, ab Heynio, Thilio, Sabbadinio, imprimis a Forbigero. Putandi sunt cum Conradsio prooemium quoddam poetae recitantis. Ipsa Aeneis incipitur verbis 'Arma virumque ...' Tibullus versus ante oculos habuisse videtur Vergilio vivo: cf. II 1, 53 sq.:

et satur arenti primumst modulatus avena  
carmen, ut ornatos diceret ante deos.

Versus hi sunt:

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena  
carmen, et egressus silvis vicina coegi,  
ut quamvis avido parerent arva colono  
gratum opus agricolis, at nunc horrentia Martis

Aen. I 1 'arma virumque cano ...' — Cur vero interpolator aliquis constans sit carmini praeclaro omnibusque notissimo tales versus praeponere?

adversariis falso indicato, nunc eo magis vindicato, gratias agamus, quod tradidit nobis pretiosum ingenii Vergiliani fragmentum<sup>1)</sup>.

### 3. De principalibus adversariorum difficultatibus.

#### a) De interpolatore.

Putant adversarii sua simplici ratione universam quaestionem tolli posse. Sed videamus cuius ingenii sit ille audax interpolator. Peerlkampii et Gruppii sententiis ea, quae scripsit interpolator 'perversa' sunt. Itaque illi student quam plurima et gravissima loci vitia investigare<sup>2)</sup>; quae exonerantur in interpolatorem ut ad id quod germanice dicitur „Sündenbock“. Effugit illos repugnantia, quae oritur, cum talem interpolatorem conatum esse dicant praeclaro Vergilii carmini tot miseros versus supponere. Cautius iam Ribbeckius habet iudicium de loci pretio, deinde Thilo, quamquam intellegi non potest, cur interpolator verum rerum tenorem, etsi 'aperte ostenditur', obscurasse dicatur. Leonis vero sententia interpolatorem plane se rerum condicionem delevisse effugit; inepta sunt, quae scripsit, neque consequenti ratione cogitare potest. Excogitavit tales nugas nonnullis verbis adductus duorum versuum posteriorum (594, 601)<sup>3)</sup>. Sed admodum mirum est, quod talis homo ineruditus tamen inventionem e vetere Iliupersis fabula sumpsit et eam, quam Vergilius, cum antiquitus ei praeberetur, repudiaverat. — Miri denique etiam Heinzii interpolatoris mores sunt. Unicam quandam habet notitiam Vergilii Graecas fabulas imitandi artis; adaequat illum. Tamen est barbarus ille, qui pio Vergilii Aeneae tam insanum tribuerit crimen<sup>4)</sup>, ut innocentem Helenam in Vestae templo sacram ad

1) Neque dubito dicere: Si verum est II librum pulcherrimam Aeneidis esse (cf. quae iudicat Weidnerus p. 260), Aeneae et Helenae congressus, qui est in culmine talis libri, inter optimos sit locos, quos unquam mente concepit Vergilius.

2) Ipse legas illorum opprobria, quorum complura variis locis attuli.

3) Sed cur dimidiam perfecit rem neque de Paride una cum Helena v. 602 nominato quidquam commemoravit, quod facillime per se fieri potuit?

4) Cf. Heinzii dictum p. 45: „wahnwitzigen Mordgedanken“.



aram trucidare velit. Si dicendi genus inspicias, iudicandum est satis bene eum rem gessisse. In Aeneae sermone interiore elaborando iterum ineptum se praebuit. Accedit autem praecipue hoc unum<sup>1)</sup>: Exstat illa repugnantia evidentissima, quam, cum nullo alio modo explicari possit, solus interpolator effecit, — interrogamus: errore captus, cum VI libri locum plane neglexerit?<sup>2)</sup>

Leonis sententia interpolator primo p. Chr. n. saeculo h. e. paulo post Vergilii mortem vixit. Cur homo antiquitatis vere caecus fuisse dicitur ad Vergilii h. e. illius aetatis ingenium aut ad id, quod apud illos homines pulchrum vel honestum habebatur? — Videmus adversariorum interpolatorem, quo accuratius quis inspiciat ipsius hominis rationem, eo magis reiciendum esse.

#### b) De lacuna.

Sed etiam gravior oritur difficultas. Nam ut adversarii interpolatorem rerum conexum versibus subditivis interrupuisse putant, ita nunc re vera ille interrumpitur et patet lacuna. Sed quomodo fieri potuit, ut in ipso II libri culmine, ubi omnia ex Aenea pendent, Vergilius structuram narrationis imperfectam relinqueret; secundi libri, quem fortasse primum scripsit et Augusto recitavit? Repugnat hoc ipsorum adversariorum de Aeneidis habitu sententiae<sup>3)</sup>. Ut hanc repugnantiam evitarent, Thilo et Heinzius suam difficultatem ipsi poetae supponere coacti coniecerunt Vergilium primo quidem alios versus ibi scripsisse. Demonstrandum est iam per se has opiniones II libri conexui aptas non esse. Dicit Thilo Aeneam illo loco in proelium redire voluisse ad summam omnium rerum desperationem adductum, 'ut ulciscens illos qui patriam pessum dedissent, et fortiter pugnans interiret'. Heinzius vero: Aeneam

---

1) Quod priores adversarii Gruppio excepto ne in argumentationem suam reciperent, prudenter caverunt.

2) Leves repugnantiae interpolatoris esse possunt, cum errorem commiserint. Si vero in Vergili imperfecto carmine gravis repugnantia inveniat, 'petitio principii' quaedam mihi videtur, ut Vergilio tribuatur.

3) Leo et Heinzius sequuntur Conradsii sententiam, de qua cf. p. 59 sq.

ipsum se trucidare voluisse<sup>1)</sup>. Admonent autem ambo viri docti etiam priore in Iliupersi Aeneam similia pronuntiasse. Tamen longe alia ibi est rerum condicio. Nam in Iliupersi peracta Aeneas, etsi ab Hectore fugere erat iussus, in proelium proruit, ut summa eius fortitudo aperta fiat. Cuius poetae rationis ornamenta sunt superfluae Aeneae exclamationes, qui ipse tantum inter socios deteriorem agens personam illos incitat<sup>2)</sup>. Ea autem est II libri structura, ut in culmine eius Iliupersi peracta Aeneae monagonistae et protagonistae facti novum oriatur officium, quod — primum quidem ex hominum iudicio — consequens utique sit universae ipsi Iliupersi. Si etiam tum in animo esset Aeneae sociorum exemplum secuto propter solam 'desperationem' mori, admodum debilis esset inventio neque iam ulla rerum gradatio per se insignis<sup>3)</sup>; si vero Aeneas, e quo pendet totum carmen, nunc ipse se interficere vellet, misera et tristis haec esset viri 'fortissimi' et pii illius ignavia<sup>4)</sup>, contraria toti Iliupersi; inventio aliena ab antiquorum hominum Romanorum ingenio. Quae scilicet Thilonem et Heinzium non prorsus effugerunt. Itaque nova hac difficultate coacti priorem opinionem sarcientes concedunt Vergilio quoque illam inventionem adeo displicuisse, ut versus iterum deleret. — Explicare igitur conati sunt adversarii quomodo primo lacuna orta sit; non possunt explicare neque unquam intellegi potest, cur Vergilius in ipso II libri culmine, ubi omnia ex Aenea pendent, gravissimam lacunam tum iam reliquerit, non sarserit, praesertim cum unica illa exstet tota in Aeneide. Nihil igitur re vera profecerunt adversarii audacibus opinionibus suis; manent implicati difficultatibus necessariis.

---

1) Malae commendationi illi sententiae est auctoritas Claudii Donati, qui, cum ne animadverterit quidem lacunam, exemplum praebuit veri rerum conexus neglegendi.

2) Cf. II 353; 359; 317.

3) Quod indicavit Heinzius de Thilonis sententia.

4) Accedit, quod verba 'indomitas iras' v. 594 carerent, quo referrentur; ad Aeneae desperationem nullo modo quadrarent; longe alia, nova, iusta desperatione capitur Aeneas vv. 651 sqq., quam poeta morandae actionis causa excogitavit.

Postquam recentiore aetate viri docti accuratius intellegere coeperunt, qua ratione Vergilius in Aeneide componenda usus sit, duo iis observanda fuerunt<sup>1)</sup>.

I. Ad cognoscendam propriam Vergilii artem perpauca casui irrationali atque exanimo, permulta vel fere omnia ratissimae poetae rationi tribuenda sunt.

II. Difficultates, repugnantiae, similia vitia necessario explicanda sunt et imputanda imperfecto Aeneidis habitui, non interpolatoribus.

Quibus rationibus praecipue usus conatus sum hac dissertatione XXII illos versus Vergilio vindicare.

Postquam hac dissertatione de re, quae illo loco continetur, tractavi, iam restat ut de dicendi genere agatur<sup>2)</sup>. Haec reliqua opusculi pars, qua sane tantum comprobari potest<sup>3)</sup> et profecto praeclaro modo comprobabitur id, quod prima ostendere conatus sum, temporis causa secernenda mihi est et postea perficienda. Usque ad illud tempus delego te ad ea, quae in editorum commentariis allata sunt.

---

1) Insigni modo studia Vergiliana promota sunt Heinzii et Nordenii libris.

2) Nonnulla sane iam in II huius dissertationis capite tractanda fuerunt. Agendum erit etiam de arte, qua instruxit poeta orationis et versuum structuram; quae e parte iam e tabula cognoscetur.

3) Cf. p. 24, 2.

---

#### Tabula demonstrabitur

I: qua dispositione et argumentatione rhetorica Aeneae consilium Helenae interficiendae exoriatur;

II: qua concinnitate periodorum, colorum, commatum ornata sit orationis structura.



## VITA.

---

Natus sum Iohannes Gerloff Berolini pridie Kalendas Iunias a. MDCCCLXXXVII patre Guilelmo, matre Hedwiga e gente Boettger. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis imbutus in schola publica Berolini urbis gymnasium quod vocant 'Koellnicum' novem per annos frequentavi.

Maturitatis testimonium a. MCMVI consecutus Berolini quinque, Ienae tria per semestria studiis philologiae et philosophiae operam dedi.

Praeceptores mihi fuerunt Berolinenses imprimis: de Wilamowitz-Moellendorff, Diels, Vahlen, Norden; Roethe, E. Schmidt, Roediger, R. M. Meyer; Ienenses: Goetz, Hirzel, Delbrueck, Diehl; Michels, Leitzmann, Schloesser. In pro-seminarium philologicum me receperunt Ienae Diehl, Berolini Norden, de Wilamowitz-Moellendorff, Diels; in seminarium Ienense Goetz, Hirzel.

Quorum imprimis Goetzio, benigno praeceptori meo Ienensi, e corde gratias ago.

---



# Tabula ad explicandam loci compositionem effecta (cf. p. 41 sqq.)

Iamque adeo super unus eram, cum	a {	limina Vestae	567
	b {	servantem a et tacitam b secreta in sede latentem c	568
Tyndarida aspicio; dant claram incendia lucem	a	erranti passimque	569
	b	oculos per cuncta ferenti	570
illa	a	sibi infestos eversa ob Pergama Teucros	571
	b	et poenas Danaum	572
	c	et deserti coniugis iras	573
praemetuens, Troiae et patriae communis erinys,	a	abdiderat sese	574
	b	atque aris invisa sedebat	574
	a	exarsere ignes animo;	575
	b	subit ira cadentem	575
	I	ulcisci patriam	576
	II	et sceleratas sumere poenas.	576
'scilicet haec	a	Spartam incolumis	577
	b	patriasque Mycenae	578
	A	aspiciet, partoque	578
	B	ibit regina triumpho,	578
	a	coniugiumque domumque	579
	b	patres natosque	579
	C	videbit,	579
	a	lliadum turba	580
	b	et Phrygiis comitata ministris.	580
	A'	occiderit ferro Priamus?	581
	B'	Troia arserit igni?	581
	C'	Dardaniam totiens sudarit sanguine litus?	582
	a	nullum memorabile nomen	583
	b	feminea in poena est	584
	b	nec habet victoria laudem:	584
	a	a extinxisse nefas	585
	b	et sumpsisse merentis	585
	II	laudabor poenas	585
	a	a animumque explesse	586
	I	iuvabit	586
		ultricis flammae	587
	b	et cineres satiasset meorum.	587
	a	talia iactabam	588
	b	et furiata mente ferebar.	588

Hac sinistra tabulae parte continentur verba, quae concinnationi orationis non inserta sunt. Signis a b c notantur et numerantur cola et commata orationis.